




Vera Effigies Ven. Servi Dei P. Bartholomæi de Quental
Congregationis Oratorii in Regnis Portugalliæ Fundatoris
Quam P. Antonius Attayde e Congreg. Oratorii Vlyssiponensis
in cordiale obsequium tanti Parentis fieri curavit.

DE VITA
VENERABILIS SERVI DEI
BARTHOLOMÆI
DE QUENTAL

Congregationis Oratorii in Regnis Portugalliæ Fundatoris

Ad Potentissimum, ac Gloriosissimum
LUSITANIÆ REGEM
JOANNEM V.



Auctore Josepho Catalano Presbytero.





ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis MDCCXXXIV.
SUPERIORUM PERMISSU.

JOANNI V.

Pio Felici Inclyto Luſitaniæ Regi.



Uod erat Pontifi-cis Maximi, REGUM OPTIME, *Pontifici Maximo dedi-*

cavi opus à me non ita pridem elucubratum, De Codice S. Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario ritibus. *At vero meum hunc qualemcumque libellum cui donare deberem, non mihi diutius deliberandum fuit; cum etenim illius argumentum ſit*, Vita Venerabilis Servi Dei BARTHOLOMÆI DE QUENTAL, *ipſa argumenti ratione adactum me ſenſi, ut* SACRÆ REGIÆ MAJESTATI TUÆ *conſecraretur, cui ille fuit fideliſſimus, Regalis*

lis Sacelli adhuc adolescens à majoribus tuis concionator creatus, & inde ope divini Numinis novæ Congregationis Oratorii Auctor egregius Lusitanam ditionem nova gloria, ac novo præsidio mirifice illustravit, & quammaxime communivit. Ne itaque læsæ justitiæ argui potuissem, si quæ ad Regnum pertinent tuum, tuaque sunt, alii quam Tibi offerre maluissem, justum putavi ejusmodi opusculum immortali SACRÆ REGIÆ

MAJESTATIS TUÆ NOMINI *nuncupare*. *Præterea* REGUM OPTIME *quum vita Servi Dei* BARTHOLOMÆI DE QUENTAL *undique redoleat ſanctimoniam, virtuteſque mirabiles, cuinam alii ipſa debuit exhiberi, quam* EXCELSÆ MAJESTATI TUÆ *egregiis pietatis operibus tam ſedulo intentæ, ut in magnificis Templis erigendis, promovendoque Numinis cultu non æmulari modò religionem Conſtantini & Caroli Magnorum Imperatorum, ſed longè ſuperaſſe*

perasse videatur? Enim vero constans est omnium opinio Te ad augendam rem divinam tanto animi ardore divinitus impulsum, ut regia æraria pæne funditus exhausisses, quippe qui optime nosceres, quod scripsit Philosophus: Honorabiles sumptus maxime sunt qui pertinent ad divina sacrificia. *Quamobrem tum Livius, tum Suetonius, aliique celebres priscique historiæ Romanæ scriptores Viros Principes non semel commendarunt,*

qui ut æternum ſibi nomen, ac gloriam parerent immortalem, non minus augendæ Religioni fundatione Templorum, quàm dilatando imperio armorum ſtrepitu, ſtudium, ac operam navaviſſent; id quod ſacræ litteræ de ſtrenuo Duce Juda Machabæo laudabiliter produnt. Illud vero MAJESTATIS TUÆ *gloriæ cedit incomparabili, quod auguſta Templa fabrefacta in amplìſſima ditione tua funditus excitata ſummo labore atque impenſa, ſumptuo-*

ſiſſima

ſiſſima ſupellectili decoraſti. De Candelabris loquor, ac Cruce, & Lampade argenteis auro gemmiſque exornatis, tantæ magnitudinis, atque elegantiæ, ut materiam ſuperet opus, & Romanæ genti magnificentiam priſcorum Imperatorum, ac maximorum Pontificum videre aſſuetæ, ſtupori eſſent quammaximo, cunctique faterentur pretioſiora iis elegantioraque minime gentium fieri poſſe. Quare cum Poeta dicere non vereor.

Sem-

Semper honos, nomenque tuum, laudesq; manebunt:
Macte nova virtute, o Rex, sic itur ad astra.

Tibi certe Regum optime *parata in Cælo sedes sublimis est, quantum ex sacris litteris licet auspicari, ubi Deus Regi Israelis Davidi per Nathan Prophetam ita locutus est*: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum Nomini meo, bene fecisti hoc mente tractans: annuntio ergo tibi quòd ædificaturus sit tibi Dominus domum.

Re-

Reliquum eſt ut poſtquam Venerabilis Dei Servus BARTHOLOMÆUS DE QUENTAL *mira verbo & exemplo molitus eſt pro gloria domus tuæ, ac totius ampliſſimæ ditionis Luſitaniæ, fundatione novæ Congregationis Oratorii* MAJESTATI TUÆ *addictiſſimæ, ac egregiam navantis operam in vinea Domini excolenda,* TU REGUM OPTIME *ſtudium tuum impendas, ut quam citiſſime ille Beatorum albo adſcriptus, unam novi Templi, quod magnificentiſſi-*

tiſſi-

tissime extruxisti, aram sortiatur, quo pia Lusitana gens oratum veniens, beneficia a Patre suo amantissimo valeat impetrare. Deus Optimus Maximus ad Ecclesiæ bonum & litterariæ Reipublicæ utilitatem tuo patrocinio, tuaque munificentissima liberalitate etiam in Urbe auctæ, quamdiutissime te servet incolumem.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS TUÆ.

In æternum cultor obsequentissimus
Joseph Catalanus.

AD-

ADMODUM REVERENDIS

P A T R I B U S

Congregationis Oratorii Ulyssiponensis.



Uid causſæ fuerit, ornatiſsimi Patres, cur vitam omnium veſtrum Parentis optimi Ven. Servi Dei Bartholomæi de Quental ſcribere inſtituerim, ſi quis ſciſcitetur, ingenuè fateor, ut hanc magnam Provinciam ſuſciperem, illius rogatu adductum, cujus apud me auctoritas plurimum poteſt: tanti enim facio vel nutum levem Reverendiſſimi Patris Antonii

tonii Attayde vestræ Congregationis Oratorii Ulyssiponensis Presbyteri religiosissimi, ut illum veluti oraculum me venerari non erubescam. Is sane ad scribendum incitavit, notitiasque gestorum ipsius Dei Servi fideliter præbuit ex actis publicis depromptas; Tum denique curavit idem egregius Pater, ut vita quam nos pro nostri ingenii tenuitate describimus, cum egregia Viri Dei effigie exquisitissimis typis committeretur. Ad hæc cum in ea habitem domo, ubi vestræ congregationis sidus alterum Pater Joannes de Guarda post diuturnum incolatum sanctè diem suum obivit, & suum Corpus incorruptum reliquit atque flexibile; consentaneum duxi ad tollendum ingrati animi vitium, aliquid ad vos de nostro transmittere,

quod

quod summe gratum, ac perjucundum foret oculis vestris. Ecce igitur vitam vestri Parentis, in quam veluti in vivam quandam legem intuentes, vitam vestram dirigere possitis, nihil aliud vobis suadens, qui ab illo doctrina sacra imbuti estis, quam ut eam vobismetipsis semper proponatis, ac tanquam ipse & vos videat, & à vobis videatur, spiritu instauremini. Gesta egregii viri, quibus vix immensum, ac magnæ molis volumen sufficeret, brevi oratione eo pacto descripsi, ne prolixior sermo homines quosdam Ecclesiasticos rebus seculi mancipatos à lectione libri retardaret, in quem tamen oculos suos conjicientes, & Servi Dei exemplum imitari possent, & sequi vestigia. Nec sanè addubito quin ea lectio ad Cleri potissimum in-

institutionem multùm valeret; innumeros enim sacræ historiæ produnt, quibus vel fortuita lectio vitæ alicujus Sancti fuit plerumque salutis initium, vel ad progressionem vitæ spiritualis præsentissimum adjumentum. De miraculis pauca delibavimus ex innumeris, quæ in actis publicis enarrantur, ne casuum breviarium facere videremur. Rogo autem vos, ornatissimi Patres, ut meas qualescumque elucubrationes indicia obsequii mei erga vos pro vestra humanitate benigne excipiatis, & siquid in ea vita describenda peccavi humaniter ignoscatis; cum enim longissima sit terrarum intercapedo, & locorum distantia inter Ulyssiponem, & Urbem, mereri veniam posse videor, si minutissima quæque minus dilucide explicaverim,

co

eo vel maxime, quod pene coactus fuerim, aliis distentus curis, brevissimo dierum curriculo rem omnem absolvere. Quod quidem libenter feci, sperans ex hoc meo labore in Deum, qui est mirabilis in Sanctis suis, aliquid gloriæ perventurum. Gratulor tandem vobis, quod talem ac tantum Parentem sortiti estis, in quo Deus Optimus Maximus toti Lusitaniæ & præsidium constituit, & exemplum, atque ita clarificavit gloriam suam, ut quemadmodum Roma S. Philippo Nerio nobilitata est, sic Ulysippo Bartholomæo de Quental fieret illustris. Quinimo in isto, cujus opera, exemplove tam longe lateque Congregatio Oratorii Ulyssiponensis propagata est, ut in Indias usque pervenerit, completum videtur quod legimus Ec-

clesiastici cap. 44. *Dedit illi* (Dominus) *gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, & ut stellas exaltare semen ejus, & hæreditare illos a mari usque ad mare, & a flumine* (Tago scilicet, qui aureis arenis Ulyssiponem attingit) *usque ad terminos terræ*. Valete.

REV. VESTRARUM

Romæ Pridie Idus Augusti 1734.

Addictissimus Servus,
Joseph Catalanus.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Pal. Apoſt.

N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſg.

APPROBATIO.

IRreprehenſibiles eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis, nec quicquam illi deeſſe perſonæ, penès quam eſt religionis ſumma, & ſubſtantia diſciplinæ, ajebat olim Hormiſdas Papa, Sacros Dei miniſtros alloquens in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Neceſſariam hanc adeo artem, ad amuſſim addiſcere poterit, quiſquis Vitam Venerabilis Servi Dei Bartholomæi de Quental, Authore Cl. Viro Joſepho Catalano utriuſque juris Doctore, ac Sacræ Theologiæ Profeſſore, docta manu, nitidoque ſtilo deſcriptam, ſibi meditandam aſſumet. Hæc enim Sacerdotem fidelem exhibet, alterum veluti Philippum Nerium, ejuſdem inſtituti Auctorem, eodem ſpiritu ductum, iiſdemque meritis præfulgentem, qui a Deo ſuſcitatus, ut Sanctuarii ruinas reſtaurandas curaret, idem fermè egit Ulyſſipone, quod alter geſſerat Romæ. Hoc in opere, iſto variiſque aliis nominibus proficuo, quod demandante Rm̃o P. F. Jo: Bene-

dicto Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, avidis oculis, ac cum ingenti animi voluptate percurrimus, nihil quod ab orthodoxæ Fidei ſemitis deviet, nihil quod caſtæ Ethices regulis non conſentiat, nihil quod a moroſis Scriptorum cenſoribus corrodatur: omnia pietatem redolent, pietati deſerviunt, pietatem inſpirant; Quamobrem dignum plane eſt, quod luce fruatur. Datum Romæ in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam die 21. menſis Auguſti anno Domini 1734.

Fr. Antoninus Bremond Ordinis Prædicatorum S. T. M. ac Collegii Caſanatenſis Theologus.

Fr. Joſephus Franciſcus Pument Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Profeſſor.

AP-

APPROBATIO.

LIbrum mole quidem exiguum, re autem, ac materia magnum de mandato Reverendissimi P. Jo. Benedicti Zuanelli Sac. Apostolici Palatii Magistri, attentè non minus, quam ingenti animi voluptate perlegi, cui titulus est: *Vita Ven. Servi Dei P. Bartholomæi de Quental &c.* In eo etenim tanti viri, sanctimoniâ vitæ, & Apostolico zelo salutis animarum præclarissimi gesta sum demiratus, sed à Cl. V. Josepho Catalano utriusque juris Doctore, Sac. Theologiæ Professore, ac Patritio Paulano, tali arte, ac magisterio contracta, atque concinne descripta, ut liquido mihi videatur, illum author esse imitatus, qui vastam Iliadem Homeri adeò strictè conscripsit, ut nucis unius alveolo contineretur. Hujus porrò Servi Dei virtutum, ejusque, nostra ferè ætate institutæ ab eo Oratorii Ulyssiponensis Congregationis splendor utrumque Orbem adeò collustraverat, ut illius vitæ saltem epitoma, utilitati publicæ, omnium piorum virorum votis, latinâ linguâ, vulgata expeteretur. Id autem præstitit argenteo calamo, nitidaque oratione author, cunctisque Lusitani Oratorii Congregationibus per Oceani totius vastissimas insulas feliciter propagatis, sui primi Parentis virtutum imitandum exemplar exhibuit; ex quo illud Apostoli Pauli ad Philipp. c. 3. ver. 17.

ema-

emanat: *Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Cum autem in hoc libro nihil omnino habeatur, nisi quod Catholicam Fidem maximè exornet, atque præstantissimam pietatem redoleat, publica luce ac typis dignissimum censeo, si ita eidem Reverendissimo P. Magistro Sac. Palatii videatur. Romæ hac die, xxv. Augusti, Anno reparatæ salutis MDCCXXXIV.

Joannes Marangonus Protonotarius Apostolicus, Cathedralis Anagniæ jam Canonicus.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sacri Pal. Apostol. Mag.

Pro-

Proteſtatio Authoris.

QUæcumque à me in hac vita Ven. Servi Dei Bartholomæi de Quental exarata reperies, quæ ſanctitatis ſeu miraculi ſpeciem præſeferre videantur, ea omnia accipias velim ut fidei humanæ tantùm argumenta, non verò tamquam S. R. E. calculo approbata; cumquè hiſtorica ſolùm & pia authoritate à me conſcripta fuerint ut ex fidelibus monumentis, ac publica fama deprompta, eadem prorſus exhibere pro modulo curavi, uti ſincerè conteſtor: inhærendo Decretis Summorum Pontificum, & præcipuè ſa. me. Urbani PP. VIII. ſub die 13. Martii 1625. & 5. Junii 1631. & 5. Julii 1634. necnon aliis Sacræ Inquiſitionis, veluti obſequentiſſimus S. R. E. filius, qualem me ad ſanguinis uſque effuſionem humiliter profiteor.


Au-

Audite Filii
diſciplinam Patris,
Et attendite
ut ſciatis Prudentiam.
PROVERB. CAP. IV.



Etſi ipſi non ita viximus,
ut exemplo aliis eſſe poſſimus;
Dedimus tamen operam,
ne is lateret
qui eſſet imitandus.
Severus Sulpitius
in prologo ad vitam S. Martini.

VITA



VITA
VEN. SERVI DEI
P. BARTHOLOMÆI
DE QUENTAL.



SCripturus vitam Venerabilis Servi Dei Bartholomæi de Quental novæ Congregationis Oratorii in Regnis Portugalliæ

Fundatoris, operæ pretium duco ab eo exordium mutuari, quod Vitæ S. Hilarionis præfixit S. Hieronymus. Invoco itaque habitatorem ejus Spiritum Sanctum, ut qui illi virtutes largitus eſt, mihi ad narrandas eas ſermonem tribuat, ut facta dictis exæquentur. Eorum enim, qui fecere virtutes, ut ait Criſpus, tanta habentur merita, quantum ea verbis potuere attollere præclara ingenia. Alexander Magnus Macedo cum ad Achillis tumulum perveniſſet, felicem te, ait, juvenis, qui magno fruaris præcone meritorum; Homerum videlicet ſigni-

ſignificans. Porro mihi tanti, ac talis Viri converſatio, vitaque dicenda eſt, ut Homerus quoque ſi adeſſet, vel invideret materiæ, vel ſuccumberet.

I. Bartholomæus de Quental, cujus vitæ epitomen ſcribere aggredior, natus eſt X. Kal. Septembris anno ſalutis MDCXXVI. in paterna Villa non procul à Civitate, quam vulgo *Ponta Delgada* appellant, apud inſulam Sancti Michaelis. Chriſtianis Sacris initiatur in Deiparæ Virginis Templo, cui titulus a Luce. Parentes ejus nobiliſſimi, & primores Regni Luſitaniæ. Patri nomen

Franciſcus de Andrada Cabral, vir quidem magni nominis, antiquæ, ac perilluſtris familiæ, quique ampliſſimis in eo Regno perfunctus honoribus avitam nobilitatem gloria auxit. Mater verò, à qua cognomentum reportavit, Anna de Quental, femina æque nobilis, admirandæ virtutis, ac eximiæ caritatis in pauperes. Ajunt ipſam aliquando cum totum panem, qui in arca aſſervabatur, egenis diſtribuiſſet, ut alii eleemoſynam petenti ſubveniret, pia fiducia arcam iterum adiiſſe, quam licet exhauſtam certo ſciret, plenam tamen panibus

nibus non ſine miraculo reperit.

II. Sed ut multa omittamus alia, quæ tantæ mulieris Sanctimoniam comprobare poſſent, unum adnotabo quod rem noſtram ſpectat quammaximè. Quo tempore conceptum Servi Dei partum in utero geſtabat, nullum quod ceteræ mulieres experiri ſolent, graviditatis incommodum ſentiebat, quinimo quodam dulci gaudio afficiebatur. Fuerat enim divinitus admonita fore aliquando, ut infantulus ille, multa ad majorem Dei gloriam, Deiparæ honorem, æternamque hominum

ſalutem eſſet patraturus. Id quidem non obſcure cognovit, cum ſcilicet quodam die, quamvis incurva exiſteret, à quo & unde demiſſum ignara penitus alvo adhærens ſacrum piaculare numiſma conſpexit, ex altera parte effigie Sanctiſſimi Altaris Sacramenti inſignitum, & ex altera Beatiſſimæ Virginis ſine labe conceptæ. Quod præſagium fuit eximiæ pietatis, qua Dei Servus adulta ætate ad utrumque myſterium homines erat inflammaturus.

III. Iis auſpiciis in lucem editus numquam puerulus Matri moleſtiam faciebat, nihilque

que unquam in eo habuit ipſa quod vindicaret; videbatur enim à cunis pius, ac virtutem pene habuiſſe collactaneam: Hinc à cæteris puerorum ludis, nugiſque quadam præmatura mentis gravitate abhorrens, tempus quod alii terere conſueſcunt, ipſe Divino cultui libentius impendebat, dabatque præcipue operam parvis Altaribus conſtituendis, ornandiſque ſacris domi ædiculis, in quibus, vel pie precabatur, vel aliis pueris, quos advocabat, ipſe arundinem manu tenens, chriſtianæ doctrinæ rudimenta edocebat. Specimen nimirum

id fuit ardentiſſimi ejus ſtudii, eximiique zeli, quo poſtea, uti dicemus, eccleſiaſticæ rei cultum, atque animarum ſalutem, factus omnibus omnia, procuravit.

IV. Cum ætate magis proceſſiſſet, tempus litterariis exercitationibus vacuum, quo condiſcipuli animi oblectandi gratia vagabantur, ille vel domi ſtudebat, vel Eccleſias religiosè obibat. Hic in angulo, humi poſitis genibus, preces ad Patrem Cæleſtem, qui videt in abſcondito, effundebat, tremendiſve altaris myſteriis religioſo mentis ardore inſerviebat. Animæ labes eas etiam,

etiam, quæ videntur leviſſimæ, pertimeſcens, Sacerdoti confiteri, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ cibum ſumere ſolitus erat quam frequentiſſime. Divinis Officiis intereſſe, ac potiſſimum verbo Dei pro deliciis habebat. Quodque mirum videri debet, iis pietatis operibus tam ſedulò intentus, adeò in humanioribus litteris progreſſum fecit, ut Magiſtris ſuis ſtupori eſſet, & ſodales longe ſuperaret.

V. Annum agebat XVII. cum ab inſula S. Michaelis, ut philoſophiæ operam navaret, Patris juſſu, vel Numine potiùs ita diſponente, Ulyſſiponem

nem contendit anno MDCXLIII. Vix navim conſcenderat, & ecce à quadam Virgine notæ apud Luſitanos ſanctitatis per ecſtaſim clare cognoſcitur: nomen illi Catharina à Senis tertii Ordinis S. Franciſci. Deum ſuper juvene interrogat, quem rara modeſtia præditum in navi deambulantem aperte intuebatur; accepitque divinum reſponſum: *Hic erit qui tuas excipiet confeſſiones, eumque elegi, ut quæ ſunt gloriæ meæ quærat.* Dictum probavit eventus, nam ut ea interim ſileam, quæ Dei famulus pro ſupremi numinis honore operatus eſt, Catharina non ſine elogio memoran-

moranda viginti poſt annis illum ſibi Confeſſarium aſcivit, tantoque honore, ac reverentia proſequebatur, ut ne latum quidem, ut ajunt, unguem, ab ejus, quoad vixit, voluntate diſcederet.

VI. Eodem anno MDCXLIII. quo Ulyſſiponem venit, migravit Eboram, diſciplinarum omnium altricem. Ibi Magiſtro Didaco Fernandes, inſigni Societatis Jeſu Theologo tantos in philoſophiæ ſtudio progreſſus habuit, ut ceteros, qui in eo genere excellentes putabantur facile antecelleret; Tamquam optimus ad gradum, quem Baccalaurei appel-

pellant, communi Censorum calculo renuntiatur. In altero vero experimento, quod severius subiit, hanc omnium maximam approbationem reportavit: *Per omnes, & cum maxima laude*. In rebus Theologicis dici nequit quantum profecerit; non contentus triennium ei facultati in Regali Eboracensi Collegio, cui à Purificatione cognomen est, impendisse, altero biennio eidem rei operam dedit in celeberrima Academia Conimbricensi; ubi ea probitatis, & ingenii sui documenta dedit, ut licet Presbyteri gradum nondum attingeret, tantumque esset Dia-

Diaconus, ipſum tamen Ulyſſiponenſes non ſemel impellerent, ut apud ipſos conciones habere dignaretur.

VII. Exacto ſtudiorum curriculo nihil antiquius habuit ad animæ ſuæ perfectionem, aliorumque ſalutem procurandam, quàm ut Sacerdotio initiaretur; non ignarus quantum eo dignitatis faſtigio, tum ſacrificiis, cum verbi Dei frequentatione ſibi, aliiſque eſſet profuturus. Cogitans verò ex animo rei pondus, non perfunctorie ſe præparavit, ſed uberrimis lacrimis, iteratis precibus, corporiſque afflictationibus divinum auxilium in

tam

tam arduo negotio expetebat. Dolebat ſanè religioſo Juveni, quod non pauci homines illotis, ut dici aſſolèt, manibus, profaniſque animis in ſanctiſſima myſteria ſe ſe inferrent, ac priuſquam digni eſſent qui ad tremenda propiùs ſacra accederent, ſacrarium ipſum affectarent, & circum ſacroſanctam menſam premi, ac protrudi non erubeſcerent, tamquam non virtutis exemplum, ac non munus reddendæ rationi obnoxium, ſed vitæ adjumentum, atque ſubſidium Presbyteratus ordinem eſſe judicantes. Quentalus itaque diligenti adhibita præparatio-

ratione, longoque tempore ejus honoris, ac oneris meditationi vacans, ad Sacerdotii apicem per ordinum intervalla ritu ſolemni, ut fieri ſolet, evectus eſt Sabbato quatuor temporum Menſis Decembris anno MDCLII. in Eccleſia Spiritui Sancto ſacra, ubi poſtea Oratorii Congregationem fundavit.

VIII. Sacerdos effectus in id ſummopere nitebatur, ut quammaxima poſſet animi munditie, atque ardore ſpiritus ad aram accederet, ibique incruentum ſacrificium ſanctè perageret. Quotidie celebrabat, ſacros ritus, ac cæremonias

nias ecclesiasticas quam religiosissimè observans. Ante celebrationem ad horam usque perseverabat, ac deinde magna vi doloris, internique animi significatione Sacerdoti confitebatur: dicereque solitus erat neminem, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine prævia Sacramentali Confessione opus omnium faceret divinissimum; reprehendebat autem eos homines, qui raptim, ac nullo animi sensu, sacram hostiam immolassent, quique negotiis sæcularibus implicati distractè divinis operarentur.

IX. At verò Quentalus quam-

quamquam ſemper pari diligentia, atque attentione in ſacrificium uteretur, incredibili tamen affectu, ac pietate ſacrum obibat nocte Chriſti Domini natalitia: quo tempore ejus animi ardor ex toto corporis habitu, ac præſertim ex vultu dignoſcebatur. Videre tunc planè erat effuſa quadam è ſuperis gratia, hominis faciem cæleſti luce radiantem. Accidit aliquando, tanta ſpiritus dulcedine perfuſum eſſe, ut inter litandum lacrimas tenere nulla unquam ratione potuerit; emeruitque nonnumquam, ut ejuſdem miſſæ non modò Angeli inſolito

quodam obſequii genere miniſtrarent, ac hymnum *Gloria in excelſis Deo* alternatim canerent, ſed Chriſtus ipſe, ac Beatiſſima Virgo, una cum S. Philippo Nerio peculiari Quentali Patrono, non ſine ſingularis benevolentiæ indicio lætanti animo benedicerent. Id, quod per viſum mirificum memorata alibi Catharina à Senis cognovit.

X. Illud quoque hic loci opportunitas ſilere non patitur morem ei fuiſſe ab ipſis Sacerdotii rudimentis religioſiori attentione ea hymni verba, quem dicunt, Angelicum recitare, *Quoniam tu ſolus San-*

Sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Jesu Christe: Ipsa quoque Offertorii, ut ajunt, *Offero tibi Deo meo vivo, & vero*, eo spiritus impetu pronuntiabat, ut qui aderant homines summopere obstupescerent, & Sacerdotis sanctimoniam admirarentur. Et ad illam Canonis partem perveniens, quam appellant *Memento*, abalienatus à sensibus, ac pene mortuus videbatur. Peracta verò re Divina in gratiis referendis insumebat tempus planè non modicum.

XI. Cum autem major in dies sanctitatis illius fama percresceret, in ipso juventæ flo-

re, vix ſacerdotio initiatus ad animarum curam ſuſcipiendam idoneus viſus eſt. Hinc cum rigido examini ſuas ingenii, ac doctrinæ vires ſuppoſuiſſet, alioſque doctos viros, qui concurrebant ſuperaſſet, Parochus renuntiatur Eccleſiæ Virginis, quam vocant Stellæ in oppido, quod vulgò Riberam magnam appellant in inſula S. Michaelis. Sed vir Dei facti pœnitens, ea qua præditus erat humilitate, tanto oneri Angelicis humeris formidando imparem ſe prorſus judicans, antequam ad memoratam Eccleſiam contenderet, libenti animo ceſſit.



ſit. Quod non ſine ſuperno Dei conſilio factum putamus, quippe qui Quentalum non unius populi, ac gentis, ſed totius Luſitanæ ditionis, ac præſertim Metropolis Ulyſſiponenſis Apoſtolum prædeſtinaverat.

XII. Regni hujus eo tempore habenas Joannes IV. moderabatur. Is non ignarus quo pietatis, prudentiæ, ac eruditionis genere Quentalus inſtructus eſſet, anno MDCLIV. Concionatorem, atque Confeſſarium Regalis Sacelli ipſum creavit. Cœpit mox fidelis Dei famulus incredibili ſane labore vineam excolere;



quis enim nesciat quantæ in aula regnent fraudes, ac in dies repullulent scelera hominum otiosorum? Vel ipsi Ethnici testati sunt exire aula illum oportere, cui pietatem servare in animo esset. Quid Quentalus? Cælesti numinis confisus gratia, aulam ingressus, non modò ipse quotidie in spiritu proficiebat, sed ea apud supremi, ac imi pariter subsellii aulicos eloquentia valebat, ut omnes castigato vetere luxu, christianæ disciplinæ severitatem induerent, piis exercitationibus alacriter operam navarent, ac virtutem passim amplectarentur, eo pla-

ne

ne felici ſucceſſu, ut regale palatium, domus religioſior cœnobiis ipſis haberetur.

XIII. Sed cum Eccleſiæ Dei maxime perniciofum ſit meliores habere laicos, quam Clericos, cernens Quentalus corruptos iſtorum mores, præſertim qui aulæ inſerviebant, de eorumdem moribus reformandis jamdudum cogitavit. Dura hæc ipſi à principio provincia fuit, ac licèt piis ejus ſtudiis per malos homines Dæmon omni conatu ſe opponeret, partim tamen exemplo vitæ, partim aſſiduitate dicendi, Domino potiſſimum adjuvante eò res devenit, ut erecto in eiſdem

regalibus ædibus Oratorio, Beatiſſimæ Virgini ſacro, opera domnæ Aloyſiæ Guſmanæ, quæ habitationem largita eſt, decenterque exornavit, Clerum ibi ad orandum quotidie cogeret, ac Dominicis, & Feſtis diebus ad audiendum Dei verbum, quod ipſe mirifice prædicabat, interna quadam veluti vi impelleret. Fructus eorum, qui uſque ad quadringentos, & amplius Oratorium frequentabant, non facile æſtimari poſſunt. Fuerunt qui ea frequentatione, Deique ſervi familiaribus adhortamentis ad ſummum perfectionis apicem pervenere.

XIV.

XIV. Reformato Clero, ac aulicorum cœtu, cum majore ſemper Quentalus cupiditate flagraret juvandi homines, eſſetque ipſe vas electionis divinæ, ac nobiliſſimum inſtrumentum à Deo ad varia gloriæ ſuæ magnalia deſtinatum, novem poſt annos, quos ad pietatem informando regali palatio impenderat, aſpirante eodem Cæleſti Numine de conſtituenda pia Virorum, ſub nomine Congregationis Oratorii, Congregatione mature deliberavit. Suo viduata Pontifice erat per ea tempora Ulyſſiponenſis Eccleſia, Quentalus ut conſuetam erectionis

fa-

facultatem impetraret, supplex Capitulum, ac Canonicos adiit: humani generis hostis, cum novum hunc hominum cœtum animadverteret innumeras Deo animas esse lucraturum, ipsis rerum initiis, per se, suosque satellites impedire conatus est. Alii illum irridere, nonnulli hebræum, & hypocritam dicere, complures calumniari. Permittente id Deo, qui Quentalum suum hoc tentationis genere probare, ac exercere volebat; muniebat se ille patientiæ clypeo, invictoque animo irrisiones, ac ludibria devorabat.

XV. Quod vero potissimum du-

durius fuit, duo ex Canonicis, quorum alter utpote qui factiosus, cæteris præstabat auctoritate, aperte se se piæ Quentali intentioni opposuere: petita denegant, verbisque asperioribus, atque dicteriis virum repellunt. Ille patienter se gerens, ac peculiari, qua erat in Deiparam Virginem religione, ad ipsam protinus confugiens, ejusdem sacræ imagini libellum supplicem secreto porrexit, in quo verba descripserat: *Memento Congregationis tuæ*. Rem piæ feminæ, cujus tunc temporis erat à Confessionibus, Catharinæ à Senis commendat,

dat, ut nimirùm pro felici ſucceſſu Congregationis, Dominum deprecaretur; de ſupplici libello, quem Virgini obtulerat ne verbum quidem. Paret Confeſſario femina; cumque in oratione eadem hora, qua Capitulum pro novæ Congregationis erigendæ licentia agebatur, ſpiritu in altum attolleretur, vidit Beatiſſimam Virginem humilem Quentali chartam Filio offerre, quam deinde ſubſcriptam ille Matri reddebat, ſtatimque evanuit viſum. Nec mora: mittit ad Quentalum Catharina nuntium, Sacerdotem Joſephum de Cabredo, qui diceret,

ceret , ut bono animo esset, fore ut eodem die non modice lætaretur . Quandoquidem puer Jesus Matri suæ libellum ipsius supplicem cum gratioso rescripto reddiderat. Miratur ad hæc Quentalus, utpote qui ea de re nihil unquam cum ullo communicaverat, magisque obstupuit, cum paullo post de concessa sibi à Capitulo facultate , quam optaverat certior esset factus, ac de repentino , & miserabili Canonici obitu, qui ei impudenter obstiterat, cuique Quentalus jam prædixerat, fore, ut Congregationem ipse nequaquam videret, quemadmodum accidit.

XVI.

XVI. His difficultatum procellis ſuperatis, obtentaque non ſine labore regia facultate, cum jam eſſet Congregationis fundamenta jacturus in parvo cœnobio, quod Dominicani provinciæ Hyberniæ dereliquerant, omnes, qui ſe comites ſpoponderant, neſcio quibus Diaboli machinamentis miſere abrepti fidem fefellere. At verò Deus, qui in multorum ſalutem ſancti operis inſtitutorem Quentalum ab æterno prædeſtinaverat, mirificè ipſum in hiſce anguſtiis ſolatus eſt. Fecitque ut ob eorum lapſum apertè cognoſceret Congregationem non humano,

mano, ſed Divino prorſus conſilio conſtituendam fore. Unus, qui ad dandum ſodalitio nomen cæteris alienior videbatur, inopinato Divino afflatus Numine Quentalum ſequutus eſt; parique conſenſu, incenſiſque ad mutuam caritatem, ac benevolentiam animis initia Congregationis Oratorii poſtridie idus Julii anno ſalutis MDCLXVIII. poſuerunt die Virgini, quam à Carmelo nuncupant ſacro. Porrò ille, qui ſe ſocium Quentalo adjunxit, nomine Franciſcus Gomes dicebatur, Parochus Eccleſiæ Deiparæ ſine labe conceptæ, vir pius, religione in Deum con-

conſpicuus, in animarum ſalute procuranda ſolicitus, ſacrorum rituum ſi quis alius peritiſſimus.

XVII. Aperto Oratorio, quod Quentalus propriis etiam legibus communivit approbatis à Pontificibus Maximis Clemente X., & Innocentio XI., à quo fuit etiam litteris decoratus, quemadmodum S. Philippi Nerii inſtitutum, ita & viſus eſt ſequi præclara veſtigia, tanta animi alacritate, ut brevi innumeri pene ad illum dicentem audiendum certatim confluerent, quos à peccatorum cœno per pœnitentiæ Sacramentum ereptos, ad orationis

tionis deinde ſtudium, aliaque pietatis opera, quæ in ejuſmodi Congregationibus S. Philippi Nerii fieri ſolent, mirificè inflammabat. Adeò verò viri caritas ſe effudit, ut non contentus dies fere totos confeſſionibus excipiendis, piiſque agendis adhortamentis impendere, (quo munere uſque ad obitum egregie perfunctus eſt) noctes etiam, vel ſecretæ contemplationi rerum cœleſtium, ſive adjuvandis morientium animis inſomnes ducebat.

XVIII. Interea cum his, aliiſque præclaris operibus hominum ſalutem procuraret, innumeroſque in dies ad me-

liorem frugem reduceret, ac ſacræ confeſſionis, & Euchariſtiæ frequens uſus in metropoli Luſitanæ ditionis Ulyſſipone reviviſceret, nondum elapſo anno, quo Congregationem erexerat in gravem ægritudinem incidit: atteruntur ſenſim vires, corpuſque ſimillimum cadaveri videbatur. Accerſiti Medici, alii de ſalute ejus actum eſſe clamant, alii fore, ut ad breve tempus viveret, quod phthiſi laborantem dicerent, ſed interea ad ſacras exercitationes ineptum futurum. Habita iterum alia die inter ſe conſultatione, feria v. Cœnæ Domini, anno

MDCLXIX.

MDCLXIX. inſpicientes ægri vires ad exitum præcipitare, jamjamque interituras, ut veluti morti proximus, ſacram Synaxim acciperet, ſimul decernunt: hinc cum tota eo tempore uno Quentalo ſodalitas niteretur, quippe qui ſolus tunc conciones haberet, unuſque pro mille reputaretur, cœpit ſtatim eo languente multitudo, quæ concurrebat diminui, parumque abfuit, quin pium opus penitus interiret. Flere omnes; Quentalus meditari, orare, pſallere: eximia in eo fuit in ejuſmodi periculo animi tranquillitas, ac ſumma Divinæ voluntati

ſubjectio. Cumque ſervum ſe veluti inutilem reputaret, nulla Deo vota ad impetrandam ſanitatem nuncupabat, neque illud unquam uſurpavit, quod S. Martinus ſub mortem dixiſſe legitur: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem*. Solummodo oculis in Cælum defixis, ita Altiſſimum precatus eſt: *Domine, ſi hoc opus eſt gloriæ tuæ, tu ſuccurre*. Qualis, quantuſque fuerit orationis ſucceſſus, ſequens dies manifeſtavit, cùm ſcilicet ex improviſo ſe ſe obtulit tamquam homo miſſus à Deo Pater Didacus de Linan Hiſpanus Congrega-

gregationis Oratorii Valentiæ presbyter, vir admirandæ doctrinæ, summæque probitatis, ac concionator eximius, qui una cum aliis Congregationis Oratorii Matriti auctor fuit. Ajunt hunc virum portam Congregationis Ulyssiponensis ingredientem janitori, qui ad aperiendum illi advenerat, ita locutum: *Deus huc me ducit*. Ergo Didacus Quentali partes sibi sumpsit, divinique verbi explicatione ita ad sanctitatem animos accendebat, ut laudabiliorem vitæ rationem instituerent quampluri- mi, augereturque in dies illorum numerus, qui abjectis

inanibus curis, piis exercitationibus Oratorii nomina dabant.

XIX. Quentalus interim Divina potiùs, quàm medica ope à mortis faucibus ereptus, vitæque restitutus, quod ei vel in primis propositum initio fuerat, ut aliquos ingenio, doctrina, ac pietate præstantes ad suum institutum aggregaret, id ipsum à Domino, præter recuperatam, contra omnium expectationem, sanitatem, consecutus est. Fuerunt autem qui eo tempore Congregationi se se adscripserunt lectissimi Sacerdotes Joannes de Guarda, Antonius de Cruce,

Em-

Emmanuel à Costa, Emmanuel de Lima, Antonius Vasconsellus, Joseph de Vali, Joannes Lupus; Clerici vero Franciscus Pedroso, Antonius de Galla, Didacus Curado, Antonius de Attayde, homines fere omnes nobilissimi, & eximiæ virtutis. Quos inter, eo religiosæ disciplinæ studio, & usu præstare aliis de Guarda visus est, ut statim idoneus reputaretur, qui aliorum mores informaret, novitiorumque magistri munus obiret. Fuit is Joannes dè Guarda ex illustri familia, patria Vianensis, diœceseos Bracarensis, honorum contemptor, piisque labori-

bus numquam feſſus, quem propterea Quentalus vocare ſolebat *Patrem fortem* . Sanctiſſime obiit Romæ in domo S. Hieronymi Caritatis , ex qua, ut marmorea monumenta vetera teſtantur , manavit in orbem fons pietatis: Ibi enim (ut egregios interim viros ſileam litteris, ac virtute præſtantes Bonſignorium Cacciaguerram à Sancto Franciſco Saleſio ob præclaros ejus libros commendatum , Perſianum Roſam , Franciſcum Marſupinum , Petrum Spatharium, tres à confeſſionibus S. Philippi Nerii, Henricum Petram, Theſeum Raſpam , venerabilem

lem Dei ſervum Joannem Leonardum Clericorum Regularium Congregationis Matris Dei auctorem, alioſque complures piorum operum inſtitutores, quorum vitas feliciter adornavit amicus noſter vir clariſſimus Joannes Marangonus) S. Philippus Nerius Congregationem Oratorii fundavit, annoſque tres, ac triginta commoratus tanto amore domum ipſam proſecutus eſt, ut nonniſi Pontificia adactus auctoritate aliò commigraverit, retentis non ſolùm priſtinæ vitæ inſtitutis, ſed & cubiculi ſui clavibus, quod vel ipſe quotidie, vel per ſuos

cupi-

cupide invisebat. Porro Joanni de Guarda veram effigiem coloribus expressam amicus ejus intimus cum ejusmodi elogio posuit, meminitque in suo theatro historico almæ domus Lauretanæ vir doctissimus, monumentisque egregiis notus Petrus Valerius Martorelli Patritius Auximanus jam Episcopus Feltranus, tom. 2. fol. 83.

„ XX. Rev. Pater Joannes de „Guarda Congregationis Ora„torii Ulyssiponensis, vir sum„ma doctrina, omnique virtu„tum genere decoratus; post „innumeros pæne homines ver„bo suo, & exemplo ad melio„rem frugem redactos, post „Epi-

„ Epiſcopatum conſtantiſſime re-
„ cuſatum, voti reus, quod pro
„ ſalute Regis nuncupaverat, ad
„ Lauretanam domum, & ad Sa-
„ cra Apoſtolorum limina pro-
„ fectus, ædes S. Hieronymi Ca-
„ ritatis ingreditur, ubi gravi,
„ ac diuturno XXII. annorum
„ morbo conflictatus eſt; quo
„ tempore, qua patientia, ac qui-
„ bus virtutibus ipſum Divina
„ gratia ditaſſet, in aperto fuit,
„ cum vivens ab omnibus cole-
„ retur, & moriens flexibile, ac
„ nihil niſi ſanctitatem ſpirans
„ corpus reliquerit; cujuſmodi
„ poſt tres annos, tumulo reſe-
„ rato mire compertum eſt. Ob.
„ XV. Kal. Decembris MDCCXXVII.

„ ætatis

„ætatis ſuæ anno octogeſimo.

XXI. Nunc ordinem hiſtoriæ proſequamur, cùm aucto brevi domeſticorum numero, quod bono Quentali odore atracti plures Congregationi adſcribi peterent, & impetrarent, loci anguſtia, ubi pia exercitia peragebantur, confluentes vix caperet, locus alius opportunior quæri cœptus eſt: fuerunt tunc temporis, qui ſanctitate Servi Dei permoti ſitum amplitudine, aeriſque ſalubritate inſignem pro nova fundatione gratanti animo exhibuere; quem tamen, quod populo incommodus videretur, ſine ulla cun-

cunctatione recuſavit, non enim quærebat quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, quæque non ſuam, ſed alienam commoditatem ſpectarent. Quamobrem Eccleſiam quandam Spiritui Sancto ſacram ab ejuſdem Divini Numinis ſodalitio facillime impetravit, obtinuitque; ibique aliis coemptis ædibus, iiſque ſolo æquatis novam à fundamentis conſtruxit fabricam, in qua & Patres commodius habitarent, & exercitia pietatis ad communem utilitatem majori frequentia ac fructu celebrarentur.

XXII. Illud vero hic ut miraculo

raculo propius memorandum eſt , quod licet Quentalo in re tam ardua , quæ ditiſſimos quoſque terrere ſolet , proventus alius adeſſet nullus , niſi quem ejus accenſa in Deum fiducia pollicebatur , ea tamen felicitate novum opus aggreſſus eſt , ut brevi abſolutum cerneret , tot , tantiſque undique ſpontaneis piorum hominum eleemoſynis concurrentibus , ut uno quoque Sabbato , nummos aureos tercentum , & aliquando amplius prompte perſolveret . Sunt enim profecto Ulyſſiponenſes cum primis pietatis ſtudioſi , teſtanturque hodie ejus Civitatis tem-

pla

pla egregia, & opera inſignia caritatis. Quentalum vero, ut in eo opere adjuvarent divinitus etiam admoniti videbantur, quippe qui non ſemel tantum pecuniæ ad ipſum mittebant, quantum præſenti neceſſitati ſatis eſſet. Hinc cum quadam die centum aureos nummos deſideraret, non habens quo pictori ſatisfaceret, qui Eccleſiæ fornicem coloribus adornaverat, indigentiam Patri ſuo Cæleſti vix in miſſa expoſuit; quum è veſtigio, peracto ſacrificio, famulus Ducis de Cadaval, domini ſui nomine Quentalo deſideratam pecuniæ ſummam erogavit.

Ob-

Obſtupuit ſane Quentalus ; actiſque Duci gratiis magis miratus eſt , ut ſentiit , illum ipſamet die , qua per famulum centum aureos miſerat , quinque centuſſium argenteorum millia , *cruciatos* vocant, recuperaſſe , quos omnino in deperditorum loco habebat ; dicereque idcirco per jocum ſolitus erat ipſam pecuniæ quantitatem jam in libro vanitatum ſuarum adnotaviſſe.

XXIII. Ergo beneficentia Ulyſſiponenſium conſtructæ ſunt ædes. Quentalus una cum ſuis ad illas migraturus præ humilitate, quam omnes præſeferebant, ſua quiſque impo-

ſita

ſita ſuper humeris propriis non ſine populi ſpectatoris admiratione aſportabant; exemplum ſecuti Sancti Philippi Nerii, ejuſque ſociorum, quos ita egiſſe teſtatur Baccius, cum è domo S. Hieronymi Caritatis Urbis ad novas ædes, quas Valicellianas appellant, profecti ſunt. Accidit autem translatio Quentali anno ſalutis MDCLXXIV. die feſto Beatiſſimæ Virginis in Cælum aſſumptæ: quo tempore ſolemnem ſupplicationem Dei Servus adornavit, in qua Capellanus major, ut vocant, regalis Capellæ D. Aloyſius de Souſa Archiepiſcopus poſtea Ulyſſi-

ponenſis , ac S. R. E. Cardinalis ampliſsimus, ſacram geſtabat hoſtiam, quam præeunte accenſis cereis univerſo Clero ejuſdem Capellæ regalis, religioſo obſequio proſequebatur inclytus Rex Petrus II. Luſitaniam tunc temporis regens, Quentalo magnopere addictus, magna Procerum comitante caterva.

XXIV. Iis auſpiciis, ſanctiſque cæremoniis translatione novi, piique ſodalitii celebrata, nihil prius Quentalus habuit, quàm ut ipſe, ac ſocii, qui Congregationi nomina dederant, ad animarum ſalutem ſedulò incumberent. Hinc

Hinc omnia omnibus factus, ut omnes lucrifaceret, ad constitutiones Congregationis Oratorii S.Philippi Nerii, cujus institutum, ne videretur novi Ordinis Auctor mirificè complexus fuerat, inter alias hanc legem addidit, ut Patres diœceses soliciti peragrarent confessionibus hominum excipiendis, & prædicationi Verbi Dei operam navarent: Quod munus quanto incommodo, & fructu idem Quentalus sit executus nemo facile explicaverit. Enim vero non semel ipsi contigisse affirmant, ut nocte vix Ecclesiæ alicujus porticum inveniret, ubi fessa piis laboribus

membra ſuper ſaxorum acervo collocaret. Quibus quidem operibus, & vitæ exemplo tantum apud homines proficiebat, ut ex longinquis locis magnus ad illum audiendum fieret concurſus, multique ita ad pœnitentiam commoverentur, ut aliquando poſt concionem domum rediens, peccatorum confeſſiones in via excipere coactus fuerit.

XXV. Quin & ſolicitudinem habere videbatur omnium Eccleſiarum tamquam alter ſui temporis Apoſtolus, illamque ubi per ſe ipſum non poſſet, per alios exercebat: qui ejuſdem exemplis moti, ſummaque

que opera, & auctoritate adjuti Congregationem Oratorii non modo in Portugallia statuerunt, sed in novi Orbis partes remotissimas invexere, quemadmodum docent ipsæmet Quentali litteræ exaratæ VII. Idus Novembris anno MDCLXXXIX. ac missæ ad virum clarissimum Joannem Marcianum Congregationis egregii Oratorii Neapolitani Presbyterum, qui earundem meminit tom. 5. lib. 3. cap. 15. sui celebris, ac immensi operis italice descripti, cui titulus. *Monumenta historica Congregationis Oratorii*.

XXVI. Per litteras quoque,

ubique se præsentem reddens jacentes erigebat, afflictos mœrentesque consolabatur, cunctos denique ad patientiam, fidemque adhortari curabat. Ipsum quippe veluti Dei hominem non solum domestici, ac propinqui, sed exteri pariter, ac viri principes, & ipsa religiosorum Ordinum capita quam frequentissimè in rebus arduis consulebant, gaudebantque plurimum salutaribus Quentali responsis, quæ pietatis ergo non secus, ac sanctorum pignora multi conservabant.

XXVII. Alium præterea modum reperit, quo & absens,

ſens, & vita functus omnes ad ſanctitatem accenderet; editionem ſcilicet piorum librorum; quos licet luſitano ſermone ipſe deſcripſerit, illos tamen quod pietatem maximè redolerent, alii in ſuam linguam, Quentalo adhuc vitam agente, tranſtulere. Sed ecce ipſius librorum ſyllabum. Scripſit Meditationes ſuper totius anni dominicis in tria volumina diſtributas; item Meditationes de infantia, vita, paſſione, & reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti, in tres alios Codices diviſas. Duo inſuper ſermonum volumina, quorum pleroſque antequam

Congregationem fundaret, doctorum virorum plausu, & audientium utilitate in regali Capella recitavit. Extant initio operum testimonia Theologorum non imi subsellii, qui ingenuè fassi sunt se in Quentali libris *censoria virgula nihil, laudis omnia digna respexisse*. Illud itidem usurpantes quod de S. Eusebio S. Maximus pronuntiavit: *ad laudes addidisse aliquid decerpsisse est*; & commune, tritumque proverbium: *Quod per se patet, non indiget probatione*. Ego hoc tantum dixerim, quod in laudem Sancti Basilii peroravit S. Gregorius Nazianzenus:

Una,

Una, & perpetua, & maxima oblectatio, illius opera, & lucubrationes.

XXVIII. Nuper in Urbe Roma Meditationes de passione Domini nostri Jesu Christi cum animarum fructu italice reddidit Frater Joannes Joseph à S. Teresia Carmelita discalceatus, Regis Britanniæ Theologus. Editus est liber Romæ typis Rosati, & Borgiani anno MDCCXXXIII. De ipso consultus à Sacri Palatii Apostolici Magistro Theologus præstantissimus Franciscus Maria Ganassoni Clericus regularis, nunc Ordinis sui Procurator, quem generalem appellant, hoc elogium

gium libro præfixit *Mandatis Reverendiſſimi P. Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Pal. Apoſt. Magiſtri obſequens ſumma animi voluptate legi librum, cui titulus &c. Opus profecto & pietati, & doctrinæ Auctoris ſui planè reſpondens, ac utiliſſima, & clariſſima verſione illuſtratum, aptiſſimum judico ad perfecte componendos legentium mores, cum cuilibet ſerio meditanti, quæ in eo ſcripta ſunt, dicat Deus, inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in* (*Calvario*) *monte monſtratum eſt &c.* Meditationes de infantia, & vita Chriſti ſtatim

tim ac Lusitana lingua Quentalus edidit, italicas fecit Ferdinandus Orselli Forolivienfis, typisque Angeli Nicolai Tinassi consignavit Romæ anno MDCLXXV. dedicavitque lectissimæ feminæ Principi D. Lauræ Catharinæ de Alteriis.

XXIX. Si verò ut unusquisque loquitur, ita & operari putandus est, ex ipsiusmet Quentali libris perspicuè innotescet qualis ejusdem erga virtutes ardor, ac studium fuerit, horrorque adversum vitia, in quæ magnopere invehebatur. Alienus enim erat à pseudoascceticis arguentibus, quod ipsi agunt, se ipsosque, ut

ut Apostoli phrasi utar, condemnantibus, in quo alios judicant. Quentalus in primis caritate in Deum tanta flagravit, quanta par est eum esse, qui humanis rebus penitus contemptis, assiduæ rerum cælestium contemplationi deditus foret; hinc cùm ille summè præsentia fastidiret, summè Deum diligere necesse erat: quam quidem dilectionem amatoriis jaculationibus, vel fervido alloquio, ac frequenti mentis abalienatione, veluti quodam in Deum volatu quotidie manifestabat; mirabaturque illos non parum, qui in eliciendis actibus veri amoris,

quem

quem vocant perfectum, difficultatem obtenderent.

XXX. Æstuabat ipse præterea tanto caritatis igne, ut veluti alter Philippus Nerius, quos pectori admoveret suo, in Dei amorem inflammaret, eorumque animos, quantumvis duros ad contritionem peccatorum impelleret. Id quod inter alios expertus est Mathias Pereyra, qui complexu Quentali suarum illico culparum dolorem concepit vehementem, & quod diu numquam obtinere potuerat, flere etiam illas cœpit uberius.

XXXI. Erga augustissimum Eucharistiæ Sacramentum summa

ma fuit in Quentalo religio, ac amor præcipuus; nam ut taceam reliquam religionem, qua ad ſacris operandum, divinamque liturgiam rite peragendum ſe comparabat, de quo alibi dictum eſt, incredibile dictu plane videtur quo ſenſu pietatis, atque ardore mentis anniverſariam Euchariſtici myſterii ſolemnitatem celebraret. Solicitus erat quoad vixit ſi pavimenta terſa, ſi clauſtrum, quà ſacra hoſtia in proceſſione geſtabatur, pretioſis ſtragulis, rutilantibuſque floribus magnifice exſplendeſceret; agebatque iis gratias, elogiiſque cohoneſtabat, qui

qui in ea functione ipsum adjuvantes, pari studio, ac religioso pietatis indicio ineffabilis Sacramenti memoriam coluissent. Porro ut perpetuo quotannis tantam solemnitatem externo apparatu, splendidaque cum pompa Patres alacriter exciperent, & celebrarent, annuum iis censum una cum sumptuosa supellectile reliquit.

XXXII. Qualis vero esset Quentali pietas in magnam Dei Genitricem satis ipse luculenter expressit, cum in libro meditationum de Infantia Christi Domini, cum in multis concionibus, atque adhortamen-

tamentis, quibus potiſſimum animum intendebat, ut in omnium animis dulciſſimæ Virginis amorem accenderet, atque amplificaret; gnarus veriſſimum eſſe S. Abbatis Clarevallenſis effatum, omnia nobis Deum donari voluiſſe per Mariam; expertuſque ipſemet fuerat quantum præſidii beata Virgo attuliſſet in prima ſuæ Congregationis deſignatione, cum ſcilicet ejus patrocinio, alio loco memoratas difficultatum moles ſuperavit, & ſtygiorum ſatellitum impetus fregit. In cujus ſane ſempiternam beneficii memoriam lege ſancivit. Primo ut Alumni

poſt

poſt annum probationis palam in Choro Sacramento ſe obſtringerent Beatiſſimæ Virginis Conceptionem defendere ab omni labe prorſus expertem. Secundò ut ſinguli in ejuſdem obſequium globulos precatorios ſemel in die tererent, & quam piiſſime recitarent. Tertiò ut quotidie una ſimul litanias canerent, quas vocant Marianas, implorando tantæ Virginis patrocinio. Quartò ut in ſacris Miſſionibus devotionem erga Deiparam omnibus commendarent, remedium veluti præſentiſſimum, obtinendæ, ſervandæque gratiæ Dei. Quintò de-

nique, ut nemo domo exiret nisi petita priùs benedictione à Venerabili Sacramento, ac Virgine Dei Genitrice, cùm verò reverteretur defectuum foris patratorum ab eisdem veniam postularet.

XXXIII. In cæteros Cæli Cives, ipsorumque reliquias, imaginesque eximium illi studium, & observantia insignis. Venerabatur tamen aliquos impensius, eosque in necessitatibus singulariter invocabat. Quem verò præcipuo cultu prosequeretur, is erat S. Philippus Nerius Congregationum Oratorii parens, ac Patronus præcipuus, qui non se-

ſemel Dei famulum mirifice adjuvit, præſertim verò cum graviſſime ægrotaret; quo tempore viſus eſt beatus Pater à toties memorata Catharina à Senis, una cum Dei parente à Chriſto Domino ſanitatem Quentalo enixis precibus poſtulare, fremente tartareo ſpiritu, qui variis artibus Congregationem naſcentem in ſalutem multorum præfocare molitus fuerat.

XXXIV. Jam quanta eſſet Quentali caritas erga proximos haud facile oratione conſequar. Hæc illum cum Ulyſsipone, cum alibi ægris, vinctis, miſeris, adeò veluti

ſervum addixerat, ut ſui ipſius oblitus eſſe omnino videretur. Migrabat huc, illuc fulguris inſtar, diſcruciabaturque vehementiſsime, quod ſimul adeſſe omnibus nequiret. Itinera quantumvis longa alacri animo ſuſcipiebat, ut homines à peccatorum cœno extraheret, omneſque ad Jeſu Chriſti amorem accenderet, & inflammaret. Propterea conſilio, opera auctoritate, qua apud cunctos valebat, adjuvit plurimum Congregationes Oratorii Civitatis Pernambuci, & Goæ, converſioni infidelium ſolicite incumbentes, quas ſtygius hoſtis per malos homi-

homines è medio tollere conabatur; imo cum adhuc Quentalo vitam agente Pernambuci Patres adeo à Magiſtratibus vexarentur, ut Congregationem jam interituram dubitarent, ipſe illos ad patientiam adhortatus, prophetico veluti ſpiritu eſſe bono animo juſſit, promiſitque ſe Cælo donatum, cauſam in ſupremi Numinis Tribunali peroraturum, facturumque, ut Congregatio, quæ tunc naſcebatur, victis perſecutoribus, tranquilla pace frueretur. Reſpondit eventus dictis; nam paullo poſt Quentali obitum mutatæ ſunt res, ſtatimque ceſſavit tempeſtas.

XXXV. Qui aliorum ſaluti tam longe abſentium ſolicite invigilabat, quo caritatis ſtudio propinquorum neceſſitates curaret, aperte conſtat ex tot pietatis officiis, quæ Dei famulus miſeris hominibus præſtabat. Conſueverat ipſe frequenter inviſere noſocomium inſanabilium, ubi lectos componere, & pavimenta mundare primum delectabatur, docebat deinde Chriſtianæ doctrinæ rudimenta, ac myſteria noſtræ religionis, ſolabaturque omnes dulcibus verbis, addebatque, ut & patientiam in ærumnis exercerent, doloremque elicerent de

de ante actæ vitæ peccatis: demum eleemosynas elargiebatur, quibus ægrotantium animos apprime sibi devinciebat. Senex factus cum ejusmodi officia caritatis per semetipsum præstare nequiret, alumnos coegit, ut ipsi onus subirent; statuitque ut ter in anno, die scilicet Domini natalitia, feria v. hebdomadæ sanctæ, ac festo assumptæ Deiparæ eadem religiosæ pietatis opera memorato ærumnarum conclavi quam alacriter exhiberent. Idipsum fieri voluit erga carceri mancipatos, triremibusque misere condemnatos, quos Dei Servus Do-

minicis, festisque diebus post conciones in Ecclesia peractas invisebat, unumquemque monens quod æternam ipsorum salutem spectaret, largasque eleemosynas distribuebat. Obtinuit postremo eisdem triremi damnatis facultatem, ut omnes simul quotannis Congregationem advenirent feria IV. sanctæ hebdomadæ, ibique opera Sacerdotum, ac Sacramenti virtute à peccatorum sordibus expiati divina Christi mensa communicarent; quos postea Quentalus cibariis abundantibus recreabat, hodieque mos à Patribus servatur religiosissime.

XXXVI.

XXXVI. Ceterum quandoquidem nobis hoc loco de piis ejus largitionibus verbum incidit, eæ profecto tales, ac tantæ fuere, ut vix earum numerus iniri possit; succurrebat tum viris, tum feminis egestate pressis nobilis, medii, ac infimi generis, præsertim quas pudentes vocant, quæ nimirum ostiatim mendicare erubescunt, & domi nimis anguste vivunt. Præveniebat singularum necessitates, protinusque largiter, & supra spem ipsis donabat, illis pecuniam quotidianam, his menstruam, aliis vestes etiam sumptuosas, pro uniuscujusque conditione,

atque

atque indigentia ; nobiles siquidem familiæ multæ erant, quæ munifica Quentali liberalitate victitabant. Ut autem spontanea ista misericordia majorem apud Dominum gratiam inveniret, quod erogaret, clam omnibus, ac soli cælesti Numini notum esse procurabat : utebatur iccirco piis viris, ac summæ prudentiæ, qui eleemosynas secretò janitoris Congregationis nomine deferrent, ac ministrarent. Quas verò puellas pupillas cerneret, quarum pudicitia periclitaretur ob angustiam rei familiaris, curabat in asceterium, quod vocant à Misericordia immitti, ibique sub

ſub clauſtris, & Sanctimonialium feminarum diſciplina magno labore, & impenſa educari, quouſque congrua dote, quam ipſemet Quentalus erogabat ſtatum eligerent, vel ineundo ſcilicet matrimonio, vel perpetuæ religioni, & caſtitati ſe conſecrando.

XXXVII. Mulieres quoque, quæ virginitatis naufragium paſſæ fuerant commiſeratus ſummopere Quentalus Matronis eximiæ caritatis, atque prudentiæ ſecretò tradere conſueverat ne pudicitiæ, capitiſve periculo, tumentem uterum oblatrantium hominum oculis exponere cogerentur; ſub-

ſubminiſtrans ipſe quantum illis in eo miſerabili ſtatu ſatis eſſet; calamitatumque cumulo remedium tribuens præſentiſſimum, quo ſimul & publicæ exiſtimationi, & ſingularum animis, corporibuſque conſultum eſt. Quis enim ignorat quantæ hodie ubique locorum cum ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortii venena meditantur, & frequenter etiam ipſæ commortuæ, trium criminum reæ ad inferos perducuntur, homicidæ ſui, parenti injuriæ, nec dum nati filii parricidæ?

XXXVIII. Neque minor Quentalo cura de mulierculis,

quæ propter egeſtatem copiam ſui corporis faciebant ; ipſas itidem nobilibus , piiſque feminis ſolitus erat dividere ſuſtentandas , atque in officio continendas ; ne cui vero gravior eſſet impenſa , ipſe interim Pater æquiſsimus , vel locum , quo tutæ perpetuo degerent , vel pecuniam , qua domi ſuæ vitam deinceps abſque peccato ducerent , impenſius procurabat . Erat profecto Quentalus verus Chriſti diſcipulus , erga pauperes non verbis , ſed largitionibus effuſiſſimus , diligebatque omnes opere , & veritate juxta normam Sancti Euangelii , neque illos imi-

imitabatur, quibus favor pauperum eſt interdum occaſio avaritiæ, verum eſuriens ipſe paſcebat alios, & ore pallente jejuniis, fame aliena torquebatur, utque alii commodius viverent, voluntariam paupertatem ipſe libenti animo amplectabatur.

XXXIX. Amore accenſus ipſius virtutis, ſtatim ac Congregationem, quam Dei aſpirante gratia ipſe inſtituerat, ingreſſus eſt, eidem amplam bonorum ſuorum omnium donationem fecit; quod quidem moleſtum illi minime viſum fuit; utpote qui ſemetipſum abnegans ſacro ſe ſodalitio quaſi

quaſi ſervum addixerat: neque enim, ut verbis utar Sancti Gregorii Magni, Pontificis maximi, laborioſum eſt homini relinquere ſua, ſed valde laborioſum eſt relinquere ſemetipſum: Minus quippe eſt abnegare quod habet valde autem multum eſt abnegare quod eſt. Ergo Quentalus paupertatem ſe ſuſcepiſſe magnopere gratulabatur, dicereque ſolitus erat, eum qui exoptaret nihil ſibi in hoc mundo defuturum, omnia relinquere oportere, ſecundum illud Apoſtoli effatum: *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

XL.

XL. Cultus ei de vestibus nullus; detrita assutaque tunica fartaque centonibus, & obsoleto palliolo delectabatur, exorari numquam passus ut illa mutaret, tametsi quidem resarciri ludere omnino operam esse Sarcinator contenderet, quereretur que locum amplius non inventurum, ubi frustula apponeret. Biretum saltem ut novum aliquod admitteret, vetustiori, ac trito deposito nullius unquam preces valuere; imo cum liberalis homo, nescio quid pecuniæ ad ipsum misisset, ut biretum sibi novum conficeret, Quentalus in parte morem gerere vo-

volens pii hominis voluntati, vetus ſtatim reſarciri curavit, nummoſque ſatius duxit in pios uſus convertere; obſervatus tandem eſt, cum ad concionandum progrederetur, deſpicatius ſemper, obſoletiuſque quod haberet biretum adhibuiſſe.

XLI. A pecunia, & auro abhorruit quammaxime; mundique divitias inſtar Apoſtoli veluti ſtercora arbitratus, dictitare conſuevit ſe illas tanti habere, quanti quis atrum carbonem faceret. Cùm initio Congregationis tyro quidam ditior graviſſime ægrotaret, rogavit Quentalum, ut pro li-

bito ſuo teſtamenti tabulas ordinaret: annuit ille, reſque ita omnes diſpoſuit, ut ex multis aureorum millibus, quos teſtabatur, nihil Congregationi cæteroqui indigenti reliquum fecerit; tabulario, aſtantibuſque heroicum Quentali actum tota Civitate prædicantibus. Aliud non huic abſimile illuſtre facinus foris accidit, cùm ſcilicet Matthæo Quareſma morienti in ſupremo certamine Quentalus pie aſſiſteret: enim vero volens is omni pacto domum amplam poſthabitis etiam Sororibus Congregationi relinquere, oppoſuit ſe illi Dei ſervus, ſuaſitque

ſitque ut ne id quidem facere cogitaret; cumque vero æger in donandi propoſito obſtinate perſiſteret; Quentalus ſe tunc erigens, zeloque accenſus divino, pro ægri Conſanguineis ita feliciter peroravit, ut donationem Patribus faciendam omnino elideret, ac præfocaret; cujuſmodi exemplo profectò ſignificavit, quo pietatis ſtudio ſacri homines cum infirmis præſertim agere, & verſari debent. Sunt enim aliqui iis ſimiles, de quibus, quod hæreditates variis artibus captarent, ita olim ad Nepotianum optimum Clericum ſcripſit S. Hieronymus:

Audio præterea in ſenes, & anus abſque liberis quorundam turpe ſervitium; ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis manu propria ſuſcipiunt; pavent ad introitum medici, trementibuſque labiis an commodius habeant ſciſcitantur, & ſi paulatim ſenex vegetior fuerit, periclitantur, ſimulataque lætitia mens intrinſecus avara torquetur.

XLII. Ab hominibus iſtiuſmodi ingenii quam alienus exstiterit Quentalus, prodidit ipſe alia occaſione, alioque facto ſupramemoratis longe nobiliori.

biliori. Commiseratus Lusitanorum Rex Petrus II. angustiam rei familiaris, qua sub initiis novella Congregatio premebatur, profusa liberalitate digna sane Principe munificentissimo magnam auri vim Quentalo exhibuit. Ille non modo pecuniam sibi sponte oblatam, ac præsenti Patrum necessitati pernecessariam constantissime recusavit, sed quod incredibile dictu videtur, Regem modestè redarguit, quod scilicet gravatus ære alieno, eleemosynas vellet erogare, additque potius sibi fore ea solvere, quæ deberet, quam Congregationi

de alieno largiri. Factum profecto rarum; cui fere simile consignatum litteris habetur in vita Civis mei Sanctissimi Ordinis Minimorum Fundatoris Francisci de Paula, qui tamen libertatem, qua loquebatur stupendo etiam prodigio cumulavit. Nam cum ex innumeris quos Rex Neapolis Ferdinandus Primus ipsi obtulerat, aureum nummum manu premeret, illico sanguis erupit; eoque indicio Principem monuit esse illum verè sanguinem subditorum, quos publicis, ac iniquis vectigalibus tam graviter læserat, atque contriverat.

XLIII.

XLIII. Humilitatem adeò coluit Quentalus, ut interiorem animi sui dejectionem dictis, factis, ipsoque oris habitu demonstraret: appellitabat se peccatorem omnium maximum, servum inutilem, dignumque ut à Congregatione dejiceretur, eo quidem animi sensu, ut non scenice locutum, vel perfunctorie cum epitheta isthæc depromeret, sed quod ita de se re vera arbitraretur, profusis lacrymis, ac fervore spiritus, factisque illustribus comprobaret. Cum enim alii naturæ nescio quo corruptæ instinctu tam anxie dignitates ambiant, ac patro-

ciniis procurent, ille sponte sibi exhibitum à memorato Petro II. Rege Lusitaniæ insignem Episcopatum Lamacensem constanti animo recusavit, quamquam ut ipsum acciperet enixis precibus rogaretur, excusans se, quod eo honore indignum se esse judicaret. De libris item, quod ipse elucubraverat, quamvis illi in ore, & admiratione omnium essent, ita demisse, & humiliter sentiebat, ut interdum Patri Francisco Pedroso ingenue fateretur eos non esse tanti ponderis, atque momenti, ut legi unquam ab aliquo mererentur.

XLIV.

XLIV. Sed ejus humilitas tum maximè eluxit, cum ad abjectissima quæque ministeria descenderet; verrere pavimenta, mundare sordes, lances tergere, sedere ad culinarii latus, aliaque obire, quæ vel infimæ plebis homines facere detrectarent. Omitto quantum sibi gratularetur, cùm Sacerdotum sacrificiis inserviret; est enim ejusmodi ministerium omnium nobilissimum, quo ad confusionem multorum litanti Presbytero ministrare erubescentium functus est aliquando in hac nostra temporum fæce Pontifex Maximus, & Jesu Christi Vicarius

carius Benedictus XIII. vir, cui ſimilem in reparanda vetere collapſa Eccleſiæ diſciplina, augendaque re Divina Eccleſia Dei ſemper optabit.

XLV. Nefas mihi eſſe puto ſilentio obvolvere quædam alia animi demiſſionis argumenta, quæ mirificè ad mortem uſque exhibuit Quentalus. Venerabantur illum ſapientiſſimi, ac nobiliſſimi quique viri, potiſſimum vero Luſitaniæ Reges, qui frequenter Dei famulum in Regias ædes evocandum curabant, familiaribus ipſius colloquiis fruituri: parere ille, præſertim cum de re gravi ageretur,

ſed

ſed ægre ferens honorifica ejuſmodi invitamenta, teſtatus eſt non ſemel ſocio, quem una ſecum ducebat, malle ſe ad patibulum ire, quam ad Regale palatium. Et ſane fideles teſtantur litteræ recuſaſſe Quentalum regiam domum, caſamque humilem elegiſſe cum Apoſtolico miſſionis muneri intentus, rogante, ac præſente Petro II. una cum aulæ ſuæ magnatibus in Eccleſia Sanctimonialium loci, quem vocant *Odivellos*, concionatus eſt, agens de horrendo hominis improbi ſacrilegio, qui ſacram pyxidem, in qua diviniſſimum Chriſti Corpus aſ-

aſſervabatur, impie ſuffuratus fuerat. Adduntque ipſæ litteræ lautas epulas, quas Princeps munificus ei miſerat cum tenui cibario commutaſſe, quod ſibi hoſpita paupercula ad prandiolum præparaverat.

XLVI. Eſt adhuc quod lubet adnectere huc uſque enarratis de profunda Quentali humilitate. Ægrotanti aliquando illi laudatus toties Rex Petrus II. aulicum miſiſſe fertur, qui à ſe diceret exoptare ſe, illum præſentia ſua inviſere. Cui Quentalus agere ſe inquit gratias tantæ Regis benignitati, rogare tamen ipſum ne id efficeret, dignareturque ne

ad

ad tuguriolum ſuum vellet accedere. Inſuper cum aliquando conſideraret Quentalus longa itinera, ingenteſque ſuis labores exponeret, quos alacri animo presbyter quidam ſubiverat, ab Epiſcopo, & Magiſtratu Civitatis Contii (*Miranda*) vulgo appellant, Ulyſſiponem miſſus inter hiemis rigores menſe Decembri anno MDCXCVIII. ut de fundandâ apud ipſos Congregatione cum Quentalo ageret, Dei Servus tactus dolore cordis intrinſecus quod nihil ipſe boni egiſſet, in eos prorupit gemitus, atque ſingultus, ut pleriſque viſum ſit inde morbum contraxiſ-

traxiſſe, quo vitam ſanctè finivit.

XLVII. Neque verò hæc tam egregia Quentali humilitas ejus animum abjecit unquam quo minus immenſa quadam animi magnitudine maxima quæque moliretur, flocci pendens hominum moleſtias, irriſiones, atque indignitatem, quas initio Congregationis pro Dei gloria, ac animarum ſalute vorare ſolitus erat alacritate mirabili: eſt etenim, quemadmodum ante nos alii adnotarunt, hoc Servorum Dei proprium, ut apud ſeipſos humiles, & abjecti, in divinis negotiis mire

re

re fortes ſint , atque conſtantes. Hinc vocatus frequenter, ut in doctorum virorum cætibus ſuum quoque de re , quæ agebatur , animi ſenſum depromeret , privatis omnino poſthabitis rationibus , ac humano reſpectu , qui multos mentiri facit , quid ſecundum Deum ſibi eſſe videretur , libere pronuntiabat ; quamvis ſuam ſententiam nonnunquam cerneret opinioni inſigniorum hominum adverſari . Conſueverat autem ipſe antequam iret , exorare prius tantiſper Spiritum Sanctum , ut & lucem , ne erraret , & ad dicendum libertatem ſibi tribueret;

non

non ignarus ejus ſententiæ, quam in Epiſtola ſua Canonica S. Jacobus Apoſtolus ita deſcripſit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.*

XLVIII. Jam filia humilitatis eſt obedientiæ virtus: quod ex Apoſtolo diſcere licet qui de Archetypo omnis humilitatis Chriſto Jeſu ait, Epiſtola ad Philippenſes cap. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* In quem locum inquit S. Thomas: Modus humiliationis, & ſignum humilitatis eſt obedientia

dientia, quia proprium ſuperborum eſt ſequi propriam voluntatem. Ergo Quentalus à nutu potiſſimum ejus pendebat, qui à ſuis erat Confeſſionibus; deinde licet imperare ſit præcipuum ſuperiorum munus, & obedire ſubjectorum, ipſe quamvis præpoſitus eſſet, & Congregationis fundator unicus, adamuſſim ſtatutis legibus obtemperabat, tanto ſtudio, atque ſedulitate, ut ne latum quidem ab iis unguem diſcederet. Conſcius verò ſibi longè tutiùs eſſe regi quàm regere, & parere quàm imperare, non ſemel in Conventu patres, ut vocant Capi-

 tulares

tulares exoravit, ut alterum eligerent superiorem, cujus arbitrio reliquam ipse vitam credere posset, atque subjicere. Quamobrem cùm anno salutis MDCLXXXVII. die XXII. Novembris id ipsum enixiùs expetisset, alius eximiæ virtutis Sacerdos pari suffragio Præpositus renuntiatus est, cui omnium primus Quentalus flexis genibus manus exosculatus religiosæ obedientiæ reverentiam exhibuit; curavitque deinceps instar Tyronum magnipendere vel nutus ipsos, & levia Superioris indicia. Sanè frequens erat, & memorabile Quentali dictum, se vel homini

mini Æthiopi, ut Deo fore obediturum, si Congregationi præesset. Quod nequis credat alienum à mente Sanctorum Patrum, quorum lectione mirè Quentalus delectabatur, operæ pretium duxi unum saltem testem afferre S. Bernardum, qui libro *De præcepto, & dispensatione* cap. XII. scribit: Sive Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.

XLIX. De castimonia Quentali quid attinet dicere, qui

illam ab ipſis vitæ rudimentis præcipuam habuit, & ad extremum uſque illibatam ſedulò cuſtodivit? Evitavit vel puer ſolutis moribus adoleſcentes, eoſque quandam veluti peſtem fugiebat. Pro comperto habetur verbulum ne ullum quidem unquam protuliſſe, quod fœdare vel minimum pudicitiæ florem videri poſſet. Averſari mulieres naturale ei fuit, quibus tamen ſi alloqui in ſacrà Confeſſionali ſede oporteret, paucis aſperiſque verbis utebatur: idipſum admonens, ut alumni facerent; ut Confeſſarii nimirum blandè non agerent cum feminis peccata ſua ex-

exponentibus, ſed potius ad ſeveritatem propenderent, juxta illud a Carthuſiano *De vita Curatorum* articulo LXV. tamquam Auguſtini prolatum: *Sermo brevis, aſper, & rigidus cum feminis eſt habendus.* Quod quamquam apud genuinum Auguſtinum non occurrat, habetur tamen ſin minus totidem ſyllabis, & eadem plane ſententia in calce libri *De ſingularitate Clericorum* inter opera S. Cypriani. Reprehendimus jam & nos in opere edito non ita pridem de Codice S. Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario ritibus lib. II. cap. XIV.

abuſum illum pudendum quidem quammaximè graviquè cum animarum detrimento conjunctum, abuſum inquam ſacrorum quorundam hominum; qui in ſacra Confeſſionali ſede ante Deum, & Divina myſteria longa colloquia cum mulieribus inſtituunt tanta libertate, atque licentia, quanta domeſtici parietes, ac profana loca cuilibet è populo vix tribuerent. Porro Quentalus, qui ſuis etiam inculcabat, ut caute cum mulieribus verſarentur, ſervarentque veluti pupillam oculi caſtitatem; tanta ipſe ejus virtutis laude claruit, ut illam veluti alter

Phi-

Philippus Nerius attactu aliis impertiret. Enim vero cum vir quidam impurissimis cogitationibus adeò vexaretur, ut victoriam jam pæne desperaret; Quentali manum exosculatus, ab illa vehementi, ac fœda cogitationum colluvie statim liber evasit, nullamque postmodum carnis tyrannidem passus est.

L. Præcipua tuendi virginei candoris, servandæque castitatis præsidia fuere Quentalo præter eximiam in purissimam Dei parentem religionem, afflictationes corporis, piæ vigiliæ, jejunia asidua: parcisimo utebatur cibo, & jux-

juxta Apoſtoli monitum modico vino propter ſtomachum, quod ſcilicet non tam delectaret palatum, quam ſuſtineret naturam. Mos illi, vel cum laicus eſſet, ac nondum Clericatu initiatus, cilicio, diſciplinisque, ut vocant, carnem cruentare; quod ſciret ea induſtria cum veteres, tum recentes viros ſanctos uſos fuiſſe ad domandam ſenſuum contumaciam, eorumque impetus confringendos: conveniebat ipſe propterea quàm frequentiſsimè diebus præcipuè verberationi voluntariæ deſtinatis Congregationem S.Ignatio Lojolæ ſacram, quæ mirabili animarum

marum proventu fieri ſolet à Patribus Societatis Jeſu in celebri Ulyſſiponenſi Collegio, cui à Sancto Antonio Abbate cognomentum eſt.

LI. Conſueverat idem Dei famulus antequam ſodalitium inſtitueret, bis ſingulis annis, ſacris Quadrageſimæ, ac Dominici adventus temporibus ab Urbe diſcedere in remotum, ſcilicet ac deſertum locum *De Arrabida*, ut vocant, qui horridum fratribus a S. Petro de Alcantara reformatis habitaculum præſtat. Ibi ſe ſe colligens pluſculos dies ſpiritualibus diviniſque contemplationibus, exercitio virtutum, ac

miræ

miræ pœnitentiæ operam dabat. Vidiſſes tunc virum egregium ad omnia, quæ ſibi opus erant, ſua uti opera, ſuaſque manus adhibere, aquam haurire, pavimenta verrere, viliſſima munia obire: Vidiſſes ſylvam petere, ligna cædere, impoſitaque ſuper humeros in cœnobiolum deferre, quanta virorum religioſorum ædificatione, dictu incredibile: vidiſſes inſuper cæleſti pabulo refectis animi viribus, noviſque adeptis donis cæleſtibus, atque præſidiis ad ſua curricula recens, alacriterque deſcendere. Unde non mirum ſi maturioris, ac grandævæ ætatis fa-

factus tam altos perfectionis gradus conſcenderit, ac numeris omnibus abſolutus evaſerit.

LII. Prudentia tandem, quæ cæterarum virtutum moderatrix merito nuncupatur, ea præditus fuit Quentalus, ut excelſum novæ Congregationis opus ad exitum ſuperatis tempeſtatum procellis proſpere, feliciterque perduxerit, optimis legum repagulis communierit, diverſiſque muneribus inſignitum, Apoſtolicorum diplomatum ſummorum Pontificum Clementis X. & Innocentii XI. auctoritate firmaverit. Sed illud præcipuum

ejus prudentiæ, atque consilii, quod nata vix Ulyssipone Congregatio ejusdem inclytæ Urbis fines egressa primarias Civitates, ac oppida insignia, alio etiam sub sole reposita peragraverit, ac domicilia cum summo Christianæ Religionis proventu, atque ecclesiasticæ disciplinæ progressu constituerit. Gaudebant adire ipsum Viri Principes, summa religiosorum Ordinum capita, primarii Urbium Magistratus, sacri Antistites, Apostolici Nuntii, præ omnibus evocare Quentalum Rex Petrus II. ut non modò in rebus ad animam pertinentibus virum consuleret,

ret, ſed ut in domeſticis æquè ac publicis, politiciſque negotiis edoceretur. A remotiſſimis interdum locis tamquam ad virum conſiliorum, ac cæleſte velut oraculum magnæ notæ homines adveniebant, qui ejuſdem alloquio recreati, illud à Regina Saba Salomoni Regi prolatum uſurpare coacti videbantur: *Major eſt ſapientia tua, quam rumor, quem audivimus*. Magnus eques Franciſcus Barretus vir egregia pietate, atque virtute de Quentalo dicere conſueverat, unicum ipſum eſſe, quem noverit ſua dediſſe conſilia pietati pariter, ac ho-

honori consentanea, summaque prudentia, quæ essent Dei Deo, quæ verò Cæsaris Cæsari reddidisse.

LIII. In Congregationis gubernatione miræ fuit solertiæ: novit pro hominum indole modò fræna correctionis relaxare, modò reducere; cavebatque ipse diligentissimè ne quid admitteret, ex quo quispiam se minus ab illo diligi arbitraretur: qua industria tantum profecit, ut omnium animos quocumque luberet, impelleret; nihilque unquam quamvis magnum, arduumque postularet, quod non illico assequeretur. Quodque mirum

rum videri debet, nullus in eo cœtu unquam inventus eſt; qui ſeveritate Quentali aut imperio queri potuiſſet.

LIV. In dirigendis animis hominum prudens non minus quàm cautus erat, alienus profectò à quorundam pſeudoaſceticorum ſententiis, qui vel nimia auſteritate deterrentes, vel ſtulta blanditia palpantes toti fere terrarum Orbi catholico exitio ſunt. Enim vero, ut eleganter pro more ſcribit S. Gregorius Nazianzenus *Apologetico primo*, illud apud omnes liquidò conſtat, quòd quemadmodum in ſublimi, & pendulo fune gradientibus, hac,

hac, vel illac deflectere minimè tutum est, nec quamlibet parva inclinatio parvum periculum affert, verùm eorum salus, ac securitas in æquilibrio posita est; ad eundem quoque modum utramvis in partem quispiam, sive ob vitium, sive ob imperitiam propendeat, haud leve periculum tum ipsi, tum subditis imminet, ne in peccatum prolabantur. Quocirca via ipse regia cum magna circumspectione incedens, & nec ad dextram, neque ad sinistram declinans, optimi confessarii, ac vitæ spiritualis magistri partes explebat. Suos denique ægre tulit,

quod

quod aliquando in collationibus ſpiritualibus, quæ in Congregatione hodieque agi ſolent, curioſas quaſdam moverent Theologiæ myſticæ quæſtiones ad rem minime pertinentes; curabat ergo, ut omiſſis ineptis otioſorum hominum ſubtilitatibus ad graviora ſtudia potius incumberent; quæ ipſo auctore adeò in Congregatione floruerunt, ut innumera, egregiaque volumina, omnis generis eruditione referta, ſummo doctorum virorum plauſu, in lucem inde prodierint, litterarumque Rempublicam, ac Chriſtianam religionem quammaxime illuſtrarint.

LV. Consummatæ sapientiæ, & prudentiæ virtus est discretio spirituum, cujus cælesti dono, ut dixi in opere *De Codice S. Euangelii*, cogitationes, actionesque hominum cognoscuntur, an scilicet à natura, vel mali dæmonis instinctu, an vero à Divino Numine proficiscantur. Ejusmodi peritiam tum longa rerum experientia, cum præcipuo Dei beneficio fuisse Quentalum assecutum, ex quibusdam factis illustribus licet agnoscere: præ omnibus memoratu dignum, quod accidit Antonio Consalvo Presbytero cum primis aliquando integræ

tegræ vitæ, ac magni nominis missionario. Is cum semel sacram Confessionem mulierculæ cujuspiam exciperet, quæ nescio quas revelationes jactans, interdum etiam se rapi simulabat velut altera olim Maximilla Montani, ita ejus fucata sanctimonia devinctus est, ut à remotis locis, ubi magno animarum fructu fuerat concionatus, Ulyssiponem secum duceret, perpetuo feminæ tam Deo caræ, ut putabat, consortio fruiturus. Ubi Urbem venit, certior factus de Quentali virtute, quæ undique resonabat, operæ pretium duxit virum adire, ro-

gareque, ut feminæ ſpiritum probare velit. Paret ille, cum muliere ad horæ dimidium in ſacra Confeſſionali ſede colloquium inſtituens; quo peracto iterum, atque iterum Conſalvum monet, ſe feminæ ſpiritum minime commendare. Probavitque exitus vaticinium, cum non multo poſt illa ab Ulyſſiponenſi ſacra Inquiſitione comprehenſa, poſt exactum cauſæ judicium, veluti mendax, ac revelationes confingens mulctata eſt. Conſalvus vero, quod adhuc obſtinate in mulierculæ bona opinione perſiſteret, captus à Tribunali ſacræ Inquiſitionis Eborenſis car-

carceris pœna damnatur, exemplum præbens, quantum Viro Confessionibus operam danti à femina, ob ejusdem ecstases immineat exitii periculum, etiam citra consummationem iniquitatis in genere turpis commercii, quod inter hos duos intervenisse minime compertum est.

LVI. Non minus stupendum est aliud factum, quod Blasio de Abreu viro egregiæ pietatis hic recensendum putavi. Is desiderio flagrans sancta loca perlustrandi, acerbissimis Filii Dei pœnis insignia, & sacro sanguine consecrata; ad iter jam accinctus, paratoque

viatico tantæ peregrinationi pernecessario, antequam Ulyssipone discederet, consalutare Quentalum voluit, atque ab eo, ut fieri assolet, veniam petere. Negare ille, ac prohibere ne iter subiret. Sed cum Blasius retinere susceptam semel mentem pietatis causa modeste contenderet, ille ad extremum testatus est viro non esse hanc Dei voluntatem, utpote quem sciret ab illo ad res majores præelectum. Obedit Blasius, ac faciliorem Quentali dictis aurem præbuisse, non eum sane pœnituit; enim vero non multo post è vivis erepto majori domus, ut vocant,

No-

Noſocomii regalis, cui nomen à Sanctis omnibus, ſuffectus eſt Blaſius, qui rei familiaris elargitione, & eximio caritatis ſtudio ægrotos adeò proſecutus eſt, ut hac via altum perfectionis gradum fuerit adeptus, habituſque ab omnibus in ea ſanctimoniæ opinione, ut poſt ipſius obitum ad viſendum, ac venerandum cadaver paſſim concurrerent, reciſoſque capillos, ac veſtes tamquam ſacras reliquias aſservarent.

LVII. Neſcio an majore admiratione dignum ſit quod contigit Joanni Didaco. Is fruſtra omnem lapidem moverat,

ut Nosocomio mancorum Portucalæ Civitatis inserviret, & frustratus spe Brasiliam petere omnino constituit. Ubi venit Ulyssiponem, ut inde navis opportunitate iter arriperet, à Quentalo, quem intimo quodam lumine valere cognoverat, ea de re consilium petere voluit, qui quidem sine ulla mora jussit ut mentem mutaret, rediretque potius Porticalam, memorato Nosocomio inserviturus, quousque in ea Civitate Congregatio Oratorii instituerëtur, cui ipse nomen aliquando esset daturus. Tum Joannes multum egisse se inquit, ut nosoco-

mio

mio inserviret, nec impetrare unquam potuisse. Cui Quentalus: *Fac meis dictis pareas, nulla enim aderit amplius difficultas*. Et vero is fuit rerum eventus, ut Joannem profectum Portucalam iidem, qui obstiterant, exorarent plurimum, ut Nosocomio ministraret; ubi permansit usquedum juxta Quentali vaticinium, congregatio fundata est, cui nomen protinus dedit, vixitque morum probitate conspicuus.

LVIII. Alter Joannes cui Marinho cognomentum erat, famulus Emmanuelis de Pina, vir egregiæ pietatis, à Quentalo

talo accepit, ut pro ſua vocatione, quam divinitus noverat, Bracarenſis Congregationis inſtitutum capeſſeret. Obſtare ille conſilio, excuſationemque adducere, quod poſtquam Domino inſerviret, qui cælibem ducere vitam decreverat, libertate quammaxima frueretur confitendi frequenter, & religioſa Congregationis exercitia peragendi. Inſtat etiam, atque etiam Quentalus, ut datam occaſionem ſumeret, additque tandem fore aliquando ut herus uxorem duceret, auctaque familia nequiret amplius ipſe priſtino more rebus divinis operam dare.

dare. Quibus dictis excipiens Joannes viri monitum, memoratam Congregationem lætanti animo ingressus est; herus vero paullo post nupsit, multamque sobolem procreavit.

LIX. Celeberrimum omnium quæ supra memoravimus factum videtur hujusmodi. Thomas de Sylva sutoriæ artis tædio affectus relicta Ulyssipone, peragratisque variis regionibus Regni Castellæ, Granatam demum pervenit. Hic contra proverbium, quod ait, *Nihil sutor ultra crepidam*, cogitare mox cœpit de ineunda Religione S. Joannis de Deo, sed cum fratrem laicum agere

agere erubeſceret, non valens propter litterarum inſcitiam clericatu initiari, Ulyſſiponem iterum redit egenus omnium rerum, quodque miſerabilius, peccatorum pondere prægravatus. Ergo ad Quentalum pergit, rogavitque ſuper vita ſibi inſtituenda conſilium; ille manibus pectori admotis, oculiſque Cœlo defixis, paucis ſe hiſce verbis expediit: *Redito Granatam*. Miratur ſutor arcanæ rei revelationem, cognovitque luculentiſſime virum Divinitus edoctum quod humanitus reſcire nequaquam potuerat; at rurſum animo revolvens difficultatem,

tatem, quam ad fratris laici ſtatum habebat, illico obmutuit. At vero Quentalus, qui ima ejus pectoris viderat, manibus, oculiſque, uti prius formatis, ita eſt eum alloquutus: *Exerce te in ea arte, quam noſcis*. Quibus prolatis plura addidit, quæ morum illius reformationem ſpectarent. Obſtupeſcit ad hæc iterum Sutor, iterumque obſtupuit, cum Quentalus neſcio quid pecuniæ in manus ejuſdem porrexit, qui etſi gravi neceſſitate coactus, tamen nec eleemoſynam petierat, nec indigentiam, qua tunc premebatur manifeſtaverat.

LX.

XL. Est quid amplius quod in hoc facto admirari certe possis. Discessit a Quentalo Sutor, navavitque illico operam exercendæ pristinæ arti, ac exequendi præcepta bene vivendi, quæ ei Quentalus tradiderat; sed cum non multopost luxuriosam ageret vitam, cerneretque se inextricabilibus turpium voluptatum vinculis irretitum, iterum ad Dei hominem advolat; a quo statim audiit, ut uxorem acciperet. Obtendente illo votum Castitatis, quod jamdudum emiserat, Dei servus erga perditum hominem misericordia motus, relaxationem a sum-

a ſummo Romano Pontifice procuravit. Nubit ſutor, ſed mortua mox uxore, iterum ad vomitum redit; quamobrem a Quentalo monitus, ut ad ſecunda vota convolaret, ducta alia conjuge, religioſiſſime vixit.

LXI. Jam gratia prophetiæ mirè enituit in Quentalo, ſuntque in eam rem exempla innumera, quæ vitam ipſius mirifice illuſtrarunt. Quædam Sanctimonialis, cui nomen Iſabella a Montibus, cum adhuc in Ulyſſiponenſi Monaſterio S. Marthæ degeret, ſpectra candida veſte induta videre in oratione conſueverat, quæ ſuas ma-

manus magna cum veneratione osculabantur. Arbitrari ipsa Purgatorii spiritus, sed Quentalum roganti, ut de re animi sui sensum aperiret; ille, imagines, inquit, quas tibi obsequiosas solita es intueri, nihil aliud portendunt quam feminas religiosas, quibus tu aliquando post meum obitum, alterius Monasterii fundatrix, ubi multa feliciter patieris, veluti mater extiteris. Dicta probavit eventus. Transiit ipsa post illius mortem a memorato Monasterio ad aliud Asceterium, ubi religiosæ candidum habitum deferebant.

LXII.

LXII. Insignis etiam vaticinatio de ineunda Religione ea fuit. Emmanuel Martines una secum puerulum suum septennem Antonium duxit aliquando ad Quentalum, eum se decrevisse inquiens, cum adultus fuisset Congregationi addicere. At ille puerum intuens, imponensque capiti manum, *Hic*, ait, *frater erit Carmelitanus*; quod accidit; nam postquam adolevit, flocci pendens Genitoris obstacula, mentem, habitumque memorati Ordinis induit. Item cùm anno MDCLXXVIII. Joannes Joseph de Norogna Quentalo diceret iter se Romam adornare, ut

caussa conjugii, quod cum consanguinea inire statuerat, legibus solvi posset. Ille futurum prædixit, ut statum eligeret religiosum Ordinis Carmelitici, rediretque Ulyssiponem post obitum suum: id quod, ut vaticinatus est, ita profectò contigit; cum enim Romæ dispensationem, ut vocant impetrare minime valuisset, in eadem Urbe Religionem Carmelitarum discalceatorum ingressus est, assumpto nomine fratris Joannis Josephi a S. Teresia, revertensque nescio qua de caussa in Lusitaniam, virum Dei diem suum obiisse reperit.

LXIII.

LXIII. In morbis, dubioque eorum eventu nihil certius oraculo Quentali. Enimvero ipſo prædicente obitum, obiere ſæpius, quos medicorum conſulta incolumitati reſtituendos judicabant; convaluiſſe autem eos conſtat, quibus ſanitatem illo vaticinante, medicæ artis periti mortem denuntiabant. Ægrotabat exigua in ſpe Antonia Gomes; vocatus Quentalus, qui a mulieris erat confeſſionibus, filiæ Engratiæ, matris, domuſque jacturam ultra modum dolenti, læta quadam fronte prædixit fore, ut quæ tum ægrotaret, de qua medici concla-

matum jam esse dicebant, citò valeret, ac duobus aliis annis vitam traduceret. Respondit vaticinio eventus; ægrota convaluit, & elapso biennio cum iterum Antonia morbo laboraret, accersitus ille, filiæ Matris sanitatem roganti, præcepit ut Divinæ se voluntati subjiceret, quo dicto aperte cognovit Engratia, matrem eo morbo morituram, ut accidit plane.

LXIV. Sed ecce aliud prædictionis genus: Catharina Barbosa gravis utero cum die Sancto Thomæ Apostolo sacra ad Quentalum accessisset, ut sibi permitteret nocte Christi Do-

Domini natalitia in Ecclesia suæ Congregationis Divinis Officiis interesse, nil aliud ab eodem audire potuit, quam præcisa ejusmodi verba. *Non oportet, etenim antequam....* Non intellexit tum femina verborum sensum, sed die sequenti, quo peperit.

LXV. Mirabilior cæteris videtur altera prædictio, quam memoratis lubet annectere: Exhortatus semel fuerat Quentalus mulierem fœdis moribus, ac indole prava, ut ad meliorem frugem rediret. Illa parvi facere viri monitum, luxuriosius vivere, in profundum peccatorum venire; at

Quentalus zelo accensus illius animæ, ita feminæ vaticinari: *Vah te Deus nuntio asperiori, ac severiori convertet*. Paucis post diebus, cum ipsa ad fenestram sederet, ruente saxo, parum abfuit, quin inter ruinas misera interiret. Quamobrem suo periculo edocta, ac servata incolumis Dei gratia, Quentalum adiit, culpas confitetur, moribusque reformatis, bene in posterum vixit.

LXVI. Talis præterea Quentalo divinitus inerat virtus, ut ad arcana cordis penetranda passim pertingeret. Emmanuel Bernardes pietate, ac libris eruditissimis in lucem editis

tis celebris, ejuſdem Congregationis Ulyſſiponenſis Oratorii Presbyter, ſedere conſueverat in aula, quam vocant recreationis ad latus Quentali; cum tamen aliquando addubitaret quin de hoc ab aliquo notaretur, velletque ulterius experiri utrum Dei Servus intima ſui pectoris penetraret, ſola mentis cogitatione Quentalum rogavit, ut ſibi diceret num locum mutaret, an verò maneret ubi immorari ſolitus fuerat. Vix ille hæc animo verſaverat, cum ecce tibi amantiſſimus Pater enatas intimo in ſinu cogitationes veluti feneſtrato è pectore di-

ſpiciens , parabolam neſcio quam explicavit, ad cujus finem apprehenſo , conſtrictoque Emmanuelis brachio , ſic ei locutus eſt : *Quid vis tibi reſpondeam ? tanquam ſuperior dico , ut eligas locum , qui tibi magis libuerit , ut amicus tene, quem habes.*

LXVII. Idem Bernardes conſueverat recitare horas Canonicas quo tempore in aula memorata cæteri Patres a prandio animum mutuis ſermonibus oblectabant ; cumque ſemel ipſe rei indecentiam in mentali, ut ajunt oratione, cæleſti afflatus gratia animadverteret , propoſuit numquam ſe

ſe talia in poſterum patraturum. Sequenti die ad eundem locum cum perveniſſet, verſare ſecum animo cœpit patientiam amantiſſimi Patris, quod tamdiu peccatum diſſimulaverit. Cogitatum quamvis intimo hominis corde lateret, non potuit in Quentali oculos non incurrere, qui illi ſeorſim reducto rationem ſugeſſit, cur ea de re a ſe non prius fuiſſet unquam admonitus, quia ſcilicet non dum capax extitiſſet correctionis, gaudere autem ſe plurimum, quod per orationem culpam tandem cognoviſſet.

LXVIII. Quod attinet ad ope-

operationem virtutum, longum esset recensere egregia miracula, quibus constaret quantum ea gratia, quæ a Theologis gratis data appellatur, fuerit Quentalus vivus, defunctusque mirifice exornatus. Unum narrabo, quod aliquando toti Ulyssiponensium Civitati patuit. Quodam anno ea fuit Ulyssipone siccitas, ut Cælo diu imbrem negante vehementer populus affligeretur, ut qui certam ab annonæ caritate, atrocissimam famis cladem pertimesceret. Ergo factæ sunt preces, supplicationesque publicæ indictæ ad pluviam impetrandam; sed cum du-

duraturam adhuc diutius indignationem ſerena Cæli facies indicaret, Quentalus Dominica palmarum concione ad populum habita, brevique ad Crucifixi imaginem fuſa oratione tantum profecit, ut ab æneo Cœlo ruentes ſtatim imbres regionem pæne jacentem exhilararint. Quod ſane miraculum orationi Servi Dei omnes retulerunt acceptum.

LXIX. Cum ergo tot, tantiſque virtutum coronis, ac præmiis ornatus in terra tam mirifice fuiſſet Quentalus, reliquum erat, ut ultimam, quæ in Cælo ſervata, atque repoſita eſt à Deo bonorum operum

rum æquiſſimo æſtimatore conſequeretur. Hinc aſſiduis fractus laboribus, ac ævo in gravem incidit morbum, quem ut non ſemel prædixerat poſtremum intelligens, benignitate, & alacritate incredibili familiares conſolabatur, adhortans ne quod ipſe eriperetur, dolerent, ſed ut Cæleſti Numini, quod nulli unquam eripi poteſt invito, aſſueſcerent animis ac obſequiis adhærere; haberentque perpetuo præ oculis Dei gloriam, animarum ſalutem, ac Congregationis ſtatuta, quæ ad unguem ſervarent. Interim morbo invaleſcente ille humana omnia plus

plus ſolito faſtidire, & Sacramenta Eccleſiæ quam avidè petere, quibus ſumma cum religione, & veneratione ſuſceptis, dici nequit quantis fidei, ſpei, & caritatis actibus paucum quod vitæ ſupererat tempus nobilitarit. Tandem in iis verbis, *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*, placidiſſimè efflavit animum, hora juxta Italiæ horologium prima poſt ſolis occaſum, die Sabbato. XII. Kalendas Januarias. anno ſalutis MDCLXXXXVIII. ætatis ſuæ LXXII.

LXX. Viri ſanctitatem teſtatam Deus voluit ſigno mirabili cujuſdam Stellæ fulgidiſ-

dissimæ, quæ per horam integram, antequam ex hac vita discederet, visa est super ipsius Cubiculum rutilare, luceque insolita viarum strata perfundere quousque spiritum ille Deo reddidit, atque lugubri sonitu æra campana mortem annuntiarunt. Interim Quentali vultus adeo hilaris, lætusque mansit, ac quandam veluti majestatem repræsentans, ut qui illum induerent minime auderent corpus lavandi gratia denudare. Illud quoque mirabile visum est, manus, quæ flexibiles, ac faciles domus Patribus se præbebant, quibusdam exteris obriguisse,

qui

qui curiose advenerant mollitudinem experturi.

LXXI. Vulgata morte, populi sensus statim se prodidit. Summi, Medii, Infimi, omnium, diversorumque Ordinum viri, juvenes, ac virgines, senes cum junioribus turmatim irruere, Sanctum vocare, reliquiasque petere, atque hi manus, hi pedes certatim exosculari, alii precatorios globulos corpori admovere, quibus religiosius ob ejusdem contactum uterentur in posterum, & inter res cariores, ac pretiosiores asservarent. Corpori in Ecclesia per biduum exposito celebrata sunt con-

consueta defunctorum Officia. Adfuit Lusitaniæ Rex Petrus II. Quentalo addictissimus, & Regina Maria Sofia, quæ adeò ejus zeli, ac integritatis gratissima recordatione tenebatur, ut ab ipso divelli vix posset, procumbensque in genua manibus, pedibusque oscula figeret. Justisque persolutis defuncti corpus calce obrutum exedendæ carnis gratia pro more Ulysiponensium, tumulatum est; quod tamen non sine miraculo octo post annis tumulo reserato adeo integrum, & incorruptum apparuit, ut illius capiti ne capillus quidem ullus deesset, juxta

juxta ſententiam Chriſti Domini, qui in Euangelio dicit: *Capillus de capite veſtro non peribit* : Cujuſmodi eximium Dei beneficium, incorrupti nimirum cadaveris, inter alia virginali caſtimoniæ conceſſum pro comperto habetur.

LXXII. Imaginum tanti viri habendarum ea fuit cupiditas, ut non modò Ulyſſiponenſes Quentali amantiſſimi, ſed exteri quoque à remotis regionibus avidè expeterent, colerentque religioſiſſime. Ergo innumerabiles effectæ ſunt, ut piorum hominum devotioni fieret ſatis. Magnifica ſanè mihi videtur, quam vir cla-

rissimus doctrina, pietate, muneribus Ecclesiasticis, tum libris in lucem editis notus, Pater Didacus Curado è primis, qui auctore Quentalo Congregationi Oratorii Ulyssiponensis nomen dedere, in Urbe Roma insculpi, ac typis consignari curavit cum hoc titulo in superiori parte imaginis. VERA EFFIGIES VENERABILIS PATRIS BARTHOLOMÆI DE QUENTAL NOVÆ CONGREGATIONIS ORATORII, QUIA NOVIS ADDITIS MINISTERIIS, IN REGNIS PORTUGALLIÆ FUNDATORIS. Ad calcem verò hoc elogium posuit „ Exter-
„ na ne sistas facie; introspi-
„ ce quod intus latet. Quem
„ hîc

„ hîc intueris clarus fuit ge-
„ nere, ſed longe clarior vir-
„ tute, inſigni prudentia, fer-
„ vida caritate, mirabili pa-
„ tientia, humilitate profun-
„ da, oratione aſsidua, cu-
„ jus & ſtudii promotor mi-
„ rificus, zelo animarum
„ æſtuans, innumeris profuit
„ verbo, facto, & ſcripto.
„ A Regibus, quorum con-
„ cionator egregius, & a
„ Principibus magnifactus: ab
„ Innocentio XI. fel. & ſan.
„ record. litteris decoratus:
„ in omnium tandem æſtima-
„ tione, quem mortuus Phi-
„ lippus Pater ejus ſimilem
„ reliquit ſibi poſt ſe. Obiit

 „Ulyſ-

„ Ulyſsipone die XX. Decem-
„ bris anno ſalutis MDCXCVIII.
„ ætatis LXXII.

LXXIII. Sed ut è diverticulo ad propria redeamus, ſepulto cadavere, nequaquam fuit conſepulta opinio virtutum, communiſque, atque peculiaris in ipſum devotio, quæ mirificè tum Ulyſsipone, cum alibi in dies propagabatur: quamobrem ſepulcrum ejus ob miracula, quæ ibi patrabantur ſummo in honore, ac veneratione haberi cœpit. Didacus a Nuntiatione vir egregia virtute, ac dignitate Archiepiſcopus Cranagoræ, adeò importuna podagra laborabat, ut

ut vix baculo innixus pedes moveret. Consueverat Præsul religiosissimus semel in hebdomada religionis ergo Quentali sepulcrum invisere, sed cum aliquando stans super ejus lapidem enixius Dei homini se commendaret, mirabilis & dictu, & visu res, illico se sanum sensit, potuitque continuò qui antea veluti reptans in Ecclesiam venerat, deposito baculo, velociter ambulare, cursum coram Patribus in miraculi contestationem experiri, scalas sui palatii ullo procul impedimento ascendere, cunctis ad tantum prodigium obstupescentibus.

LXXIV. Ignatius Pereyra gravissima necessitate adactus nescio quem Congregationis Oratorii Patrem rogavit, ut ipsum viro cuidam potenti quam diligentissime commendaret, sed cum annus esset elapsus, nec Pater unquam ea de re cum homine fuisset locutus, Pereyra supplicem libellum ordinavit, ubi exposita sua indigentia obsecrabat Quentalum, ut hominem moveret, ut sibi quod exoptaverat concederet. Orat tantisper, chartamque supplicem noctu per foramen lapidis sepulcralis tumulo immittens, discedit. Die sequenti ab homine accersitur Pe-

Pereyra, qui illi: Ecce, inquit, ſicut optaveras remedium tuæ neceſsitatis. Quibus verbis obſtupefactus Pereyra hominini primum gratias egit, tum rogat ut ſibi mediatorem indicaret: cui ille, neminem ait pro ſe locutum, ſed tali elapſæ noctis hora, qua nimirum tumulo libellum immiſerat, intime fuiſſe motum, ut ipſum quæreret, ejuſdemque neceſsitati ferret ſuppetias.

LXXV. Sed de tumulo id etiam recenſendum, quod accidit cuidam feminæ Catharinæ nomine; hæc affecto brachio diu ac fruſtra medicos con-

ſuluerat, dolores paſſa acerbiſſimos quinque menſium ſpatio, adeò ut illud movere minimè poſſet: admonita ſemel à ſuo Confeſſario, ut à Quentali ſepulcro opem imploraret; paruit femina, ſed cum eò præ multitudine, quæ ibi religiosè aderat, pervenire non valeret, alia vice tumulum adire ſtatuit; Itaque affecta triſtitia cùm eſſet ab Eccleſia migratura, continuò vim caloris in brachio ſentiens, repente reſtincto omni dolore omnino ſanata eſt.

LXXVI. Sunt qui bona fide teſtantur ſacra Quentali lipſana non ſolum mirè aliquando oluiſ-

oluiſſe, ſed utilitati etiam atque ſaluti eſſe mortalibus. Angebatur quadam nocte Maria Bernarda acerbiſſimis doloribus, quos colicos vocant. Accerſiti medici actum de ea eſſe clamant, decernuntque, ut ſacram ſynaxim tamquam in confinio mortis conſtituta ſuſciperet. Aderat tunc alias à nobis memoratus Ignatius Pereyra, qui apprehenſo quodam Quentali cinctu, quem religiosè ſervabat, mulierem juſſit dolenti corporis parti admovere; deinde adſtantes adhortatus, ut pia fiducia Deiparæ Virginis, in quam religioſiſſimus fuerat Dei Servus,
lita-

litanias recitarent. Precari omnes, quibus illum canentibus versiculum, *Consolatrix afflictorum*, illa bene se valere, malumque penitus abisse pronuntiat; & quidem statim convaluit.

LXXVII. Teresia a Jesu Maria læthali morbo intercepta eò tandem devenerat, ut vocati medici, haud procul mortem abesse denuntiarent. Illa susceptis primum sacris Ecclesiæ mysteriis, cum penes se haberet cretaceum Quentali capitis simulacrum, cœpit enixè homini Dei se commendare. Quo peracto sudare tanta copia effigies, ut undique ipsa

ipſa ſudore aſperſa, illico à malo graviſſimo libera evaſerit.

LXXVIII. Franciſcus à Coſta Presbyter ut vocant ſecularis, à capite ad collum exulceratus, ſanieque conſperſus, cum conſultis medicæ artis peritis adhibitiſque diu fruſtraque remediis nihil proficeret, in magnam animi triſtitiam venit, qua ſomnum aliquando capiens, viſus eſt ſibi videre Quentalum. Lætari aſpectu Franciſcus, ſpemque concipere, fore ut ſanaret, ſi opem Dei hominis imploraret. Ergo expergefactus petiit à ſuis fruſtulum veſtis, quam religiosè

giosè ſervaverat, eaque capiti admota, eodem temporis momento, & ſanies fluere deſtitit, & exſiccatis ulceribus, abſque medicorum præſidio integram valetudinem recuperavit. Eodem remedio ſanata ſunt ulcera Theotonii à Rocha, cui à planta pedis uſque ad verticem capitis ſanitas planè non erat. Is undique doloribus conflictatus, potiſſimum verò ab affecto altero crure, cruciatus quammagis augente, expertuſque diu fruſtra eſſe omnes medicorum curas, atque humana remedia, ad Cæleſtem Quentali opem confugit, nec fruſtratus ſua ſpe

ſpe fuit, nam involutus ſemel in quadam ipſius lodice, eodem temporis puncto exſiccata ſunt ulcera, & ſe ſanatum ſtatim, ac à fœdo morbo penitus liberum ſenſit.

LXXIX. Æquè ſalutares ſacræ Quentali exuviæ Patribus Petro Anſelmo, ac Emmanueli Riberio Congregationis Oratorii Presbyteris. Ille aſſidue capitis dolore, atque vertigine laborans, ſtatim ac tumulo octo poſt annis reſerato corpus Dei viri incorruptum perſpexit, concepta in ipſum ingenti fiducia, reliquiam capiti applicuit, notabile expertus eſt levamentum, & poſt triduum

mor-

morbus penitus profligatus, eum amplius affligere ausus non fuit. Alter verò abscessu affecto genu, cum quadam die quammaxime doleret, nec medicæ artis adjumenta prodessent, erectus in spem, meminit se inter res cariores aliquid sanguinis habere Quentali, quem summa cum religione accipiens, rogat Patrem Gundisalvum Bagna ejusdem Congregationis Sacerdotem, ut pro se ad imaginem viri Dei, angelicam recitet salutationem. Votis indulget Bagna, illo affectæ parti sanguinem admovente, dolor discedit, adeò ut mox ad ipsum Ba-

Bagna reversus, liberum ab omni malo non sine stupore repererit.

LXXX. Admirationi deservit sanè non impari restituta sanitas Catharinæ a Cugna uxori pii viri Ignatii Pereyra. Hæc quum affecto ubere vehementissima triduana febri correpta, summopere affligeretur quòd filiolum suum novem mensium lactare nequiret; tertio die videns maritus medicam opem minime valuisse, spe fretus, conjugis uberi tumescenti globulos precatorios adhibet, quibus sacrum Quentali corpus aliquando tetigerat. Lugere interim pue-

puerulus ; ille ratus ſatis à Quentali meritis ſibi eſſe præſidii, ac opis, mulieri ſuadet, ut Dei homini fideret, papillaſque exhauriendas infantulo miniſtraret, additque fore, ut lac minimè deeſſet. Nec multis, ſoluta illico ſimul dolore, ac febri Catharina eſt; & quod mirabilius fuit, viſa eſt continuo utraque mamilla tam copioſo lacte exuberare, ut non modò abunde filiolum aleret, ſed de eodem lacte, quod vocabant miraculi, aliis etiam ad medicinam donaret.

LXXXI. Jam nihil eſt quod mulieres acrius excruciet, quàm difficiles partus, nihil verò Quen-

Quentali tam proprium, quam ipſis ferre ſuppetias. Quod quidem apud Luſitanos adeò habetur pro comperto, ut paſſim homines pro ea re Congregationem adeant petitum aliquam Servi Dei reliquíam, quam parienti admoveant. Angela Maria de Souſa cruciata biduum ab acerbiſſimis partus incommodis jamjam diem ſuum obire videbatur. Vocati pro more Patres Congregationis ut moribundam in ſupremo certamine adjuvarent, ita ſenſibus abalienatam invenere, ut nullum vitæ veſtigium præſeferret. Ergo abſoluta ſub conditione à peccatis, alter

ex Patribus plena fiducia conjugi jubet ut Congregationem adeat petitum Quentali reliquiam, qua mox allata, applicitaque pæne mortuæ ab obſtetrice, effuſus eſt illico partus ſanus, atque perfectus; ſed cum ipſa in eodem verſaretur periculo quam citius obeundi, conjux concepta nova in Dei Servum fiducia, iterum eandem reliquiam uxori impoſuit, quamobrem ſtatim aperuit oculos, & ſanata eſt, gratulata æquè ſibi, ac proli vitam à Quentali patrocinio.

LXXXII. Iria a nivibus quoties alvo fœtum contineret, toties

ties octavo menſe gravi morbo premebatur, adeo ut prolem ſemper extinctam emitteret; quocirca ab amica quadam aliquando admonita, ut Quentali opem experiretur, ferretque fruſtulum lodicis Servi Dei, quam ei donaret. Iria dicto obediens non amplius eo tempore ægrotare, ſed ſemper parere feliciſſime conſuevit.

LXXXIII. Item quandam mulierem, cui nomen Agnes Maria peracerbi, ac diuturni trium dierum partus dolores afflixerant: conſulti medici inciſionem præſcribunt. Sed illorum ingenia mox luſit vi-

cina parientis femina Antonia de Sanctis, allato Servi Dei thorace, quem semel induta Agnes, sine ulla mora vivum enixa fœtum est, & ipsa pariter servata incolumis. Ejusdem vestis præsidio consultum est puerperiis cujusdam Rosæ Mariæ, quæ ut plurimum vel fœtus mortuos effundere, vel saltem ipsa, nescio quo infortunio cum vitæ discrimine ægrotare cogebatur. Enim vero communicata re cum Patre Antonio de Alpoim Congregationis Oratorii Presbytero, ab ipso accepit, ut Quentalo fideret, quem peculiarem puerperii patronum esse affirmabat.

Tum

Tum donata Servi Dei thorace, illumque cum adhibuisset, felici eventu parturiebat, nec in posterum morbis affecta est, sicut antea consueverat. Plura id genus sigillatim recensere supervacaneum est. Videtur enim Quentalus illud à Deo privilegium assecutus, quo à cæteris Dei servis distingueretur.

LXXXIV. Quamquam verò innumerabilia de Quentalo in actis publicis, & à Lusitanorum sermonibus mira denarrentur, quæ nos, ne casuum breviarium agere videamur, consulto prætermittimus, memores propositi nostri vi-

tæ epitomen deſcribendi; quis tamen poſſit ſilentio egregium miraculum præterire, quod ita nobis narratum deſcribimus? Quædam pia femina, nomine Julia Maria rogata aliquando in pervigilio Natalis Domini à conſanguinea ſua infirma, ut quandoquidem panem non haberet, quo familiam in feſtis aleret, vellet ipſa illum faciendi onus ſubire: indulget femina; & quamvis omnes tempus deeſſe cauſarentur, quo panis ante feſtum coqui poſſet; illa dolere primum, ſed confiſa Quentali meritis, cinctum ut vocant S. Auguſtini, quem aliquando

cor-

corpori Servi Dei admotum, ſalutarem ad morbos non ſemel propulſandos agnoverat, maſſæ impoſuit, mappaque protexit: interim ad horæ quadrantem implorata ope Servi Dei ſurrexit, ivitque, ut videret an fortè maſſa perfectè intumuiſſet. Ridere protinus cuncti, ac ſimplicitati feminæ illudere, quod tam brevi maſſam fermentatam crederet; hiemis præſertim tempore, quo multæ horæ vix ſufficerent. Illa fiduciæ, ac ſpei plena coram omnibus mactram detegit, qui ſtupore perculſi maſſam non modo fermentatam, ſed mactra undique

efluentem profpexere. Sed nec dum miraculo finis, nam multo plus inde panis evenit, quam fperari unquam potuiffet; fuitque ille præterea folito pulcrior, atque candidior, diftributus veluti nefcio quid fanctitatis contineret, ac communiter appellatus panis miraculi.

LXXXV. Jam quanti apud omnis ordinis viros dum viveret haberetur Quentalus fupra dictum eft. Poft mortem quænam fit de illo opinio, argumento eft, tum auctoritas fcriptorum, qui ejufdem non fine elogio meminere, Joannes Marcianus tom. v. fui operis,

ris, cui titulus : *Monumenta historica Congregationis Oratorii*, italice descripta pag. 371. Antonius Cordeyro Societatis Jesu in historia Insulana, Lusitano Idiomate exarata pag. 205. aliique complures; tum verò potissimum illorum fiducia superius commemorata, qui passim ad ipsius opem confugientes, beneficia per eum à Deo accepta prædicare non desinunt. Unum ego hic addiderim, Deum ipsum zelari summopere honorem servi sui, cujus detractores non semel perdidit, atque contrivit; inter quos duos Ecclesiasticos, alterum Canonicum, Presbyterum

terum

terum alterum. De prioris ſubito, ac miſerabili interitu alibi factus eſt ſermo. De Presbytero verò ita accidit caſus. Is licet Quentali civis, tanto tamen odio illum proſecutus eſt, ut quadam die in conſpectu, atque oculis hominum non parum ejus nomini, ac famæ detraheret: vocare degenerem, hypocritam, gloriæ cupidum, ut qui non animarum ſalutem, ſed prætextu pietatis propriam oſtentationem ſpectaret. Sed miſer brevi perfidiæ pœnas dedit; nam paucis poſt horis apoplexia correptus, deformato aſpectu, & lingua, quæ teſte Jacobo Apoſtolo

ſtolo eſt univerſitas iniquitatis, tumida, ac nigra foras erumpente, infeliciter periit: exemplum iis relinquens, qui in circulis, cœtibuſque in Dei ſervos maledicta reſonare non erubeſcunt, quaſi ſcelerum vindex Chriſtus Dominus, ac Judex vivorum, & mortuorum conſtitutus, in Euangelio Lucæ non dicat cap. x. verſu 16. *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Quam ſententiam S. Auguſtinus *Sermone 26. de Sanctis* ita explicat. „ Cùm „ dicat ad Sanctos ſuos Omni- „ potens Deus: Qui vos ho- „ norat, me honorat, & qui „ vos

„ vos ſpernit, me ſpernit.
„ Quiſquis ergo honorat mar-
„ tyres, honorat & Chriſtum,
„ & qui ſpernit Sanctos, ſper-
„ nit Chriſtum Dominum no-
„ ſtrum.

LXXXVI. Reliquum eſt ut quemadmodum Eccleſiæ Latinæ doctor maximus S. Hieronymus noſtro huic opuſculo initium dedit, ita alius Eccleſiæ Græcæ doctor egregius S. Hieronymi præceptor, Sanctus Gregorius Nazianzenus finem imponat, cujus verba mutuatus, quæ in laudem Sancti Baſilii deſcripſit, Gentem religioſiſſimam Luſitanam ad laudandum Dei hominem, Bartholo-

tholomæum de Quental, novæ Congregationis Oratorii in Regnis Portugalliæ fundatorem eximium ſic provoco. Adeſte jam omnis illius cœtus, tam Clerici, quam Populares, tam cives, quam exteri, atque encomium ipſius mecum contexite, alius aliam quampiam illius virtutem exponentes, & conquirentes: qui in thronis conſidetis, Legislatorem; qui Rempublicam geritis Civitatis Principem; multitudo moderatorem; ſtudioſi præceptorem; Virgines pronubum; conjugatæ caſtigatorem; ſolitarii pennarum aptatorem; Cœnobiaci Judicem; ſimplices

plices itineris ducem; ſpeculationis amantes Theologum; hilares frenum; calamitoſi ſolatium; ſenes baculum; Juvenes Pædagogum; pauperes largitorem; locupletes diſpenſatorem; quin mihi quoque videntur & viduæ patronum ſuum laudaturæ, & orphani patrem, & pauperes pauperum ſtudioſum; & peregrini hoſpitalem; & fratres fratrum amatorem; ægrotantes medicum cujuſcumque volueris morbi, & medicinæ; & ſani ſanitatis cuſtodem; omnes denique eum, qui omnibus omnia factus eſt, ut omnes, aut quamplurimos elucraretur.

FINIS.



INDEX RERUM.

A

P. An-

Bar-

B

Mira

D

F

S. Hie-

L

M

Me-

N

ro

Par-

Q

R

S

Tem-

T

V





